n.116. Angles Floribus, 1.par. ubi de matr. *q. 11. de impedim. ordinis, art.3. diffic.1. Mozzius de matr. tit. Qui matrimonium contrahere possunt, nu. 12. Ugelin. de sacram.* ubi de matr. *c. 19. n. 5. Hier. Plat. lib. 2. de bono stat. relig. cap. 21. fin. Azor. lib. 12. instit. moral. c. 6. qu. 3.* & dicit esse probabilem, neutram partem definiens, *Bellar. in suis controv. lib. 2. de Monachis, cap. 34. col. ante penult. in solut. ad 2.* Et *idem Azor. eodem c. 6. qu. 4.* dicit similiter solo jure Ecclesiastico reddi professum per votum paupertatis solemne, inhabilem ad acquirendum rei alicujus dominium, & ad transferendum illud in alium.

3 Alii vero censent id non ex jure naturali, sed ex divino positivo consurgere. Ita *Almam. in suo tract. de potest. Eccl. c. 15.* Ducitur ea ratione, quod nihil referat, votum solemne prius ne matr. sit, an posterius: cum igitur votum solemne posterius matr. consummato, illud non dirimat jure naturæ, & ex vi sua, non dirimet quoque quando votum solemne est prius matrimonio, sed id habebit ex jure divino positivo.

4 III. Sentent. ait, votum solemne professionis religionis ex vi sua ac jure naturali divino vim habere matr. postea initum irritandi secluso quocumque jure Ecclesiast. Ducitur 1. ex decreto *Syricii Pont Epist. 1. cap. 6.* & refertur *cap. Si quis sacro, §. Velata, 27. q. 1.* ubi ait contrahentes post votum solemne separandos esse verbo Domini, & auctoritate canonica. Non ergo solo jure Ecclesiastico, sed divino quoque id matr. est irritum. Et confirmatur, quia *Trident. sess. 24. de matr. canon. 9.* sic ait: *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica & voto, anathema sit.* Ubi detur lex Ecclesiastica referri ad sacros ordines, votum vero ad professionem, quasi ex natura hujus voti sit, matrim. postea contractum dirimat. 2. quia jure naturæ res uni tradita, invalide traditur alii. Nemo enim transferre potest in alium, quod jam non habet: juxta regulam traditam *cap. Quod autem, de jure patron.* at per votum solemne religiosi transfertur dominium personæ in Deum, ita ut jam non habeat religiosus dominium sui corporis ad usus matrimonii, ut probavi disp. præced. n. 7. & 14. ergo jure naturæ est irrita translatio dominii in conjugem per matr. Et confirmatur, quia hac ratione est jure naturæ irritum matrimonium initum a conjugato, viventi priori conjuge: quod corpus priori conjugi traditum non possit valide alii tradi. Et confirm. amplius, quia quamvis irritatio matrim. subsequentis pendeat ex Ecclesia quasi acceptante votum solemne, at id non obstat, quo minus ubi acceptavit, dicendum sit, non ex jure Ecclesiastico, sed ex ipsa rei natura dissolvi matr. postea subsequens, ut institutio præbendæ Ecclesiasticæ ex auctoritate Ecclesiæ ortum habeat, at illa institutione supposita, est contra jus naturale divinum, illam vendere. Similiter contractus matrim. pendet ex alterius conjugis acceptatione, at ea præmissa, dissolvit vi sua, & jure naturæ alium matr. contractum subsequentem. Et ratio est; quia auctoritas Ecclesiæ non concurrit, quasi statuentis dirimi matr. post initum, sed quasi acceptantis: ut in matr. consensus alterius conjugis. Sed respondebis traditionem per contractum matr. non pugnare cum traditione per professionem, ut clare probat primum argum. oppositæ sententiæ relatum nu. 2. At quando duo vincula non ita repugnant, quin simul stare possint, unum suapte natura non expellit alterum. At solutio hæc non exhaurit difficultatem. Quia vinculum matr. in fieri, id est, quo ad sui initium, ita adversatur professioni religionis præcedenti, ut nullatenus simul consistere possint: secus in facto esse, idest, postquam semel est legitime initum matr. tunc enim potest stare cum professione valida. Ratio discriminis ea est, quia non potest valide inire matr. absque plena translatione potestatis corporum, & jure ac potestate utendi illo, & obligatione mutuo cohabitandi (ut probavi lib. 5. disp. 10 n. 2.) quare translatio, & jus adversantur e diametro professioni, utpote quæ plene transfert dominium corporis professi in Deum, cum obligatione perpetua abstinendi a quibusvis venereis, & usu conjugali: atque ita suapte natura obstat professio matrimonio valide ineundo. At postquam semel legitime contractum est matrimonium, cum plena hac translatione potestatis, & juris potest matr. essentia permanere, amisso jure usus corporis, & cohabitationis (ut dixi eadem disp. 10. num. ult. in solutione ad ultimum.) Et constat, quando alter adulteratur: vel alter ex conjugis licentia profitetur. Et proinde cum tunc cessent quæ directe pugnabant cum professione, potest valide professio emitti. Ex his ergo constat, has traditiones non omnino secum ita pugnare in facto esse id est, quando professio est posterior matr. jam inito, quin simul aliquando consistere possint: at pugnare quidem prorsus in fieri, quando professio præcedit matr. ineundum, & hoc suapte natura, ex vi traditionis prius factæ Deo per professionem. Concluditur igitur suapte natura, secluso quocumque jure Ecclesiastico, professionem præcedentem impedire valorem matr. subsequentis. Et ideo hanc partem tuentur *D. Th. 4. d. 38. q. 1. art. 3 quæstiunc. 3 corp. & ibi D. Bonav. ar. 2. q. 1. Duran. qu. 1. in fine corp. Majoris q. 14. concl. 1. in fin. Capreolus 4. d. 33. q. un. art. 1. concl. 1. Sotus lib. 7. de just. q. 2. art. 5. col. 7. vers. Sed interrogas, & 4. d. 38. q. 2. a. 2. col. 4. vers. Et ut claritatis gratia, Petr. de Soto lect. 5. de matrim. ad fin. Cajet. to. 1. opusc. tract. 27. de dispens. matr. in occidentali Eccles. q. un. §. Videtur autem mihi Victor. relectione de potestate Papæ, nu. 1. in solut. ad 1. Ledes. 2. p. 4. q. 55. art. 2. fin. Viguerius lib. instit. c. 16. §. 7. vers. 9. imped. 3. Stunica de voto q. 4. n. 25. Enriq. lib. 12. de matrim. c. 5. nu. 2, fin. & num. 3. init. & num. 1. fin. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. pun. 5. col. 3. §. Est igitur, & col. 4. §. Altero igitur modo, & §. pen. & in 4. part. tract. de matrim. disp. 10. q. 5. pun. 3. in imped. voti, Aragon 2. 2. qu. 88. art. 7. col. ante penul. §. Mihi ex his duabus, Petr. de Ledes. de matrim. q. 53. art. 2. dub. un. col. unic. Barth. a Ledesm. dub. 33. de matrim. concl. 2. Lud. Lop. 2. part. instr. de matrim. cap. 48. in solut. ad 1.* & dicunt esse probabile *Veracr. 1. part. specul. art. 31. fin. & Bellar. num. 2. allegat.* Et idem tenent ex Jurisperitis, *Turrec. c. Presbyteris, n. 1. d. 27. & c. 1. art. 2. n. 4. & art. 3. n. 6. 27. q. 1. Tabien. v. Dispensatio, q. 7. n. 8. in solut. ad 1 & v. Impedimentum, imped. 2. n. 5. Covar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 4. n. 7. Alex. Carrer. lib. 3. de sponsal. cap. 6. fin. Matien. lib. 5. recop tit. 1. rubr. gl. 1. n. 70. Barb. rubr. ff. solut. matr. 1. p. num. 98 Vega 2. tom. summ. c. 57. cas. 11.* Ex his sententiis prima omnino amplectenda est, dicendumque solo jure Ecclesiastico dirimi matr. ut supra disput. 25. juxta decreta Pontificum tanquam firmiorem, & probabiliorem sententiam defendimus.

Ad arg. autem contraria, n. 4. proposita facilis est solutio 5
ex dictis disp. præced. & ex dictis n. 2. & latissime videri possunt argumentorum responsa in *Michaele Medina alleg. n. 2.*

DISPUTATIO XXVII.

An ordini sacro sit jure divino annexa continentia, & obligatio ad illam sit ex voto annexo, an ex sola Ecclesiæ lege: & in quo essentialiter voti illius solemnitas consistat?

SUMMARIUM.

Quotuplex quæstio disputanda sit, num. 1.
Continentia est annexa ordini sacro, & convenientissime, 2.
Hæc obligat abstinere a nuptiis, & ab omni actu venereo, num. 3.
Refertur sententia asserens, esse annexa jure divino, 4.
Ex solo Ecclesiæ statuto est annexa, 5.
Nec juris divini est, nec Apostolici, ne ad sacros ordines eligantur, nisi ii, qui nullo fuerint antea matrimonio juncti, 6.
Nec ordini Episcopali est annexa jure divino continentia, 7.
Solvuntur argumenta, 8.
Post numerum 8. invenies alia summaria.

Non petit disputatio præsens, quo jure ordo sacer ma- 1
trim. subsequens dirimat: id enim disp. seq. discutiendum est, ubi nu. 8. ostendam posse stare, ut continentia sit annexa jure divino ordini sacro, & tamen solo jure Ecclesiastico matrim. subsequens dirimat; petit ergo disputatio hæc, qualiter obligatio ad castitatem servandam sit ordini sacro annexa. Triplex igitur quæstio disputanda est. I. quo jure continentia sit ordinibus sacris annexa? II. an ea obligatio sit ex mera Ecclesiæ constitutione præcipientis promotis ad ordines sacros continentiam, an potius ex voto implicite emisso in eorum susceptione? III. in quo consistat essentialiter solemnitas illius voti?

Quæstio I. An jure divino, potiusne solo Ecclesiastico sit an- 2
nexa continentia ordinibus sacris? Quæstio hæc non eo pertinet, ut discutiatur, num existentes in sacris teneantur jure divino, naturali ad continentiam, supposito voto, quod in eorum susceptione emittunt. Qui enim fatentur id votum (quos nu. 10. referam) subinde concedent eam obligationem esse ex jure divino naturali, ex quo vim obligandi votum sortitur. Qui vero id votum non admittunt (quos nu. 9. citabo) negabunt eam obligationem ex jure naturali. Sed difficultatis punctus in eo positus est, an continentia annexa ordinibus sacris, sive ex voto, sive ex Ecclesiæ constitutione proficiscatur, sit jure divino annexa, an potius ex sola Ecclesiæ constitutione, statuente eos teneri ad continentiam, aut ad votum continentiæ emittendum in ordinis sacri susceptione: ita ut cessante Ecclesiæ constitutione, nulla ratione tenerentur promoti ad ordines sacros continentiam servare, nec id votum emittere? Et quidem continentiam esse annexam ordini sacro, ita ut illum sponte suscipiens teneatur in posterum continere, idque convenientissimum esse, fides catholica est. Id enim est definitum *c. Rursus, qui cler. vel vov. c. 2. de cler. conjug. clem. un de consang. c. Si quis eorum, quod est ex VI Synod. c. 6. & c. Erubescant,* quod est ex *D. Gregorio ad dominum Patriarcham, 32. d.* & multis aliis textibus, quos n. seq referam: & novissime *in Trid. sess. 24. can. 9.* De cujus legis antiquitate, & convenientia longus esset tractatus instituendus, nisi præter multos Doctores antiquiores, novissime quæstio hæc esset disputata ab aliquibus, qui de hac re sunt omnino consulendi, ubi etiam argumentis hæreticorum eam legem cœlibatus impugnantium satisfaciunt. Hi sunt *Michael de Metina de sacrorum hominum continentia toto lib. 2. & 3. Bellarminus in suis controversiis, lib. 1. de clericis, cap. 19. seq. Valentia in suis controversiis, lib. unic. de cœlibatu, a cap. 3. usque ad finem. Et 4 part. tract. de Sacrament. ordinis, disp. 9. q. 5. toto punct. 5.*

Hæc autem continentia clericorum non tantum obligat con- 3
tinere a nuptiis, sed etiam ab omni actu venereo, perinde ac votum castitatis. Quia cum mancipentur functioni rerum sacrarum, omnis munditiess eos dedecet. Et constat, quia textus absolute de castitate loquuntur, ut constat ex *c. 1. d. 28.* ibi: *Nisi qui se caste victurum promiserit.* Et *c. Diaconi, eadem dist.* ibi: *Professi continentiam.* Et *c. 1. 31.* ibi; *Nisi quis se victurum caste promiserit.* Et *c. Placui, ead. d.* ibi: *Continentes esse in omnibus* Et *c. De iis, d. 28.* quod ex Concilio Tolet. II. ubi de promotis ad ordines sacros sic dicitur: *Cavendum tamen est iis, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtivos concubitus ultra concurrant. Quod si forte fecerint, ut si sacrilegii rei ab Ecclesia habeantur extranei.* Et *c. 1. 27. d.* quod est Martini Pontificis, ibi: *Si dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur.* At *Concil. Cartnaginense II. c. 2.* & refertur *c. Cum in præterito d. 84.* ibi: *Gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationem annexi sunt. Episcopos, (inquam) Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut concedet sacrosanctos Antistites, & Dei sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus.* Idem etiam constat, quia constituti in sacris fornicantes, sunt sacrilegii rei (ut dicemus hac disp. n. 19.) Et si conjugatus quispiam ad ordines sacros invita uxore promoveretur, non posset debitum petere (ut dicemus hoc libro disp. 38. nu. 21.) utrumque autem falsum esset, si castitas, ad quam tenentur, sola esset respectu abstinentiæ a nuptiis ineundis. Quippe voto non ducendi uxorem adstrictus, non peccat contra votum fornicans, nec si ducat, tenetur debiti petitione abstinere. Et ideo ita docent *Celaia 4. d. 37. q. 3. Gutier. lib. 2. q. can. c. 7. n. 2. Valentia in suis controversiis, lib. unico de cœlibatu, c. 2. & in sua 4. p. tr. de sacram. ordinis, disp. 9. q. 5. pun. 5. §. 1. statim in princ.* Et idem tenentur dicere omnes asserentes fornicationem clerici in sacris constituti esse sacrilegium, & conjugatum promotum ad sacros ordines non posse debitum petere: quos referam locis proxime citatis.

4 His præmissis, duplex est sententia circa quæstionem propositam. Prima sustinet jure divino annexam esse continentiam ordini sacro. Ducitur, quia ab Apostolorum tempore Ecclesia Latina, & Græca hactenus servavit, ne ad sacros ordines promoti matrimonium ineant. At juris divini videtur esse, quod tamdiu in Ecclesia viguit. 2. ex illo *Lucæ 21.* ubi Christus suis discipulis dixit: *Attendite ne graventur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis hujus sæculi.* Quod *D. Leo serm. 8. de jejunio decimi mensis,* dicit in primis pertinere ad Ecclesiæ ministros. Et *2. Timoth. 2.* ait D. Paulus, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Et *ad Titum, c. 2.* suadet Tito Episcopo, ut sæcularibus curis depositis Deo inserviat, & ad hoc ait apparuisse Salvatorem nostrum. 3. quia *Deuter. 33.* dicitur Levitas nescisse filios suos, quod falsum esset, si intelligeretur de Levitis ministris veteris legis: sed intelligitur spiritualiter, & prophetice de ministris novi testamenti. 4. quia *Syricius Pontif in Ep. ad Hymerium Terraconensem Episc.* præcipiens cœlibatum clericis, eam legem confirmat, quod Christus voluerit in Ecclesia sua castitatem radiare. 5. quia sacerdotes apud Ethnicos solo naturæ lumine ductos pudicitiam habebant commendatissimam, ut ex variis testimoniis constat, quæ late congerit *Tiraq. l. 15. connubi, a n. 118.* Signum igitur est obligationem hanc ex ipso jure naturali divino consurgere. Et ideo continentiam esse jure divino ordini sacro annexam, affirmant *Majoris 4. dist. 24. tota q. 2. VValdensis de sacramentis, c. 128 n 5 & c. 129. statim in princ. & de sacramentalibus, c. 66. n. 7. Franciscus Turrensis l. 2. de dogmaticis characteribus, f. 85. col. 1. & f. 88. col. 2. Calaja 4. d. 37. q. 1. fi.* Et dicit probabilem *Azor. l. 13. instit. moral. c. 12. q. 1. §. Quamquam autem.* Et idem tenent cum quadam moderatione *Clictovæus lib. de cont. sacerdot. c. 4. & Metin. lib. 2. de sacr. homin. contin. c. 7. fine, & multis seq.* ubi dicunt castitatem esse annexam jure divino ordini sacro, quoad hoc ut sacris initiatus uxorem non ducat, aut matr. inito post ordinem sacrum non utatur: secus quoad usum matrimonii ante ordinem sacrum contracti.

5 II. Sententia (cui tanquam veriori adhæreo) ait solo jure Ecclesiastico annexam esse continentiam ordinibus sacris: quamvis enim ordo suapte natura quamdam afferat congruentiam, decentiamque castitatis matrimonio repugnantem, non tamen ex se parit virtutem præcepti, ut eo ipso quod Christus sacramentum ordinis instituerit, sit sacro ordine initiatis matrimonium jure divino interdictum. Prob. quia licet sit aliqualis traditio in ordine sacro, non tamen est totalis, sed ad cultum Dei, & divinum officium: cui traditioni non repugnat matr. jure divino, cum tale præceptum nullibi reperiatur (ut constabit n. 8. ex argumentorum solutionibus) nec jure naturali. Cum sit alioquin licitus matrimonii usus, & permissus Græcis, quando matr. est ante ordines initum, *c. Cum olim, de clericis conjug. & D. Greg. lib. 1. epist. 42.* Subdiaconis Siciliæ concessit posse uti matrimonio ante ordines contracto. Et confirmatur, quod si jure naturæ ordo sacer pugnaret cum matr. essentque incompatibilia, dirimeret utique ordo sacer matr. ratum præcedens: instar professionis solemnis. Cujus contrarium definitum est in *Extravag. Antiquæ, Jo. 22. de voto.* Secundo, quia in *Trid. sess. 24. can. 9.* videtur aperte lex hæc de clericorum cœlibatu vocari Ecclesiastica, ut ponderavi disp. præc. n. 4. in confirm. primæ rationis. Et *Calistus 1. c. Presbyteri d. 27.* appellat eam Ecclesiasticam, ibi: *Contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, juxta sacrorum canonum definitiones, judicamus.* Et ideo hanc sent. tradunt *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. fin. corp. Cajet. in opusc. t. 1. tr. 27. de dispensat. matrim. in Occidentali Ecclesia, qu. un. §. Videtur autem mihi. Gandavo quodl. 5. qu. 38. Abulensis cap. 30. Num. qu. 109 col. 4. Deza 3. d. 33. q. un. art. 3. notab. 3. D. Anton. 2. p. tit. 20. c. 2. §. 9. vers. Papa autem, & 3. p. tit. 1. c. 8. concl. 2. Viguer. lib. institut. c. 16. §. 7. vers. 9. impedim. 4. Claudius Spencæus lib. 1. de continentia sacerd. c. 3. Palud. 4. d. 48. q. 4. art. 4. n. 48. Sotus lib. 7. de justit. q. 4. art. 2. col. 4. vers. De tertia propositione, & col. 8. vers. Per hæc ergo, & qu. 5. art. 3. in solut. ad 2. & 4 d. 38. q. 1. art. 1. col. 3. vers. Dubium tamen est, quo jure, Ovand. 4. d. 25. qu. unic. propop. 9 Palac. 4. d. 27. disp. 2. col. 22. vers. Objicies forsan, & col. 25. vers At dices, & d. 37. disp. un. concl. 4. & d. 25. disp. 2. concl. 6. Bart. a Ledes. de matr. dub. 35. col. 2. Enriq. lib. 10. de sacram. ordin. c. 14 n. 7. Petr. de Ledes. de matr. q. 52. a. 3 dub. 1. concl. 3. Bellar. in suis contr. lib. 1. de clericis, toto cap. 18. Valentia 4. p. tract. de sacram. ord. disp. 9. q. 5. pun. 5. §. 1. & in suis controv. lib. un. de cœlibatu, c. 2. Azor lib. 13. instit. moral. c. 12. q. 1. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 11. paulo ante solut. ad argumenta, notab. 3. & col. 3. §. Hoc tamen non obstante, Lud. Lop. 2. part. instr. de matrim. cap. 48. in solut. ad 1. Vival. candel. sacram. 1. part.* ubi de matrim. *num. 142. 144. Vega 2. tom. sum. c. 57. cas. 6 Llamas methodo curationis animarum 3. p. cap. 4. §. 41.* Et ex Jurisperitis, *Innoc. c. Placet, num. un. de convers. conjug. & ibi Joan. And. num. 4. Hostien. ibid. ad fin. Anton num. 9. Abbas num. 7. Anch. ad fin. Card. num. 3. qu. 3. Henric. num. 3. Aret. cons. 59. n. 7. fin. Brunel. de sponsal. concl. 30. n. 3. Sylv. Votum 4. qu. 5. Tabiena v. Dispensatio, quæst. 7. num. 8. in solut. ad 1. Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 3. num. 2. Rota in novissimis, dec. 561. n. 11. & 12. Anton. Cucus lib. 5. instit. major. t. 12. n. 219. Stunica de voto, q. 6. nu. 116. Barb. rubr. ff. soluto matrim. 2. p. num. 89.*

Nec juris divini est, nec Apostolici, ne ad sacros ordines 6
eligantur, nisi illi, qui nullo fuerint antea matr. conjuncti. Quia *D. Paul. 1. Timoth. 3. & ad Titum 1.* scribit oportere Episcopum esse uxoris unius virum. Et ex multis aliis probat *Azor. lib. 13. instit. moral. c. 12. q. 7.* Nec obstat *D. Clem. Epist. 2.* ubi ait ad dominica ministeria tales eligendos esse, qui ante ordines assumptos, uxorem non noverint. Nam est intelligendus, de eis, qui uxoribus suis non commiscentur, atque ita usum conjugii negat sacerdotibus.

De statu autem Episcopali posset esse major difficultas, 7
an jure divino sit illi annexa castitas? quod perfectior sit religioso, ut tradunt *DD. 2. 2. qu. 184. art. 7.* cui tamen jure divino & essentialiter annexam esse castitatem diximus disp. 25. num. 8. Deinde, quod Episcopi propositi sint populo, ut virtutum exemplar: atque ita *Matth. 5.* appellantur *Sal terræ, & lux Mundi.* Id autem cum statu conjugali repugnare videtur. At dicendum est, solo jure Ecclesiastico illis annecti ratione ordinis sacri. Quare (ut dicemus disp. seq. n. 13.) si Episcopus esset tantum electus, & confirmatus, & nondum in sacris constitutus, non tenetur ratione status ad castitatem. Ducor, quoniam status conjugalis non habet repugnantiam cum ministeriis Episcopalibus, sed tantum ex quadam decentia, & honestate oportet Episcopum a conjugio abstinere; quod secluso jure Ecclesiastico non transit in præceptum. Deinde, quia D. Paulus (ut n. præc. retuli,) dixit oportere Episcopum unius uxoris esse virum. Et elegit in Episcopum Dionysium Areopagitam Athiensem, ut in ejus vita refertur: quem tamen conjugatum fuisse constat ex *Act. Apostol. & Turonica Synodus 2. can. 13. & 14.* uxorem Episcopi appellat Episcopum. Nec obstat statum Episcopi esse perfectiorem religioso: & Episcopos esse exemplar. Quia status religiosus licet sit imperfectior in ordine ad alios perficiendos: at in ordine ad propriam perfectionem assequendam est perfectior, & claudit mortem perfectam spiritualem. Quare sicut non obstante ea majori perfectione Episcopatus, nullo jure est ei annexa paupertas, quæ tamen est de essentia status religiosi: (ut probavi disp. 25. num. 8.) ita nec castitas, nisi ex jure Ecclesiastico, ratione ordinis sacri, qui necessario præmittitur consecrationi Episcopali. Et ita docent *Palac. 4. d. 16. disp. 3. col. 14. post 1. concl. vers. Unde non sat erit. Petr. a Ledes. de matr. q. 53. art. 3. col. antepenult.*

Ad Argum. nu 4. proposita resp. ad 1. dic, ex ea anti- 8
quitate non colligi præceptum esse juris divini, sed esse Ecclesiasticum ab Apostolis originem trahens. Ad 2. dic, iis, in locis non interdici omnino curas sæculares, sed nimias, quæ avertant spiritualis salutis curam necessariam, quam conjugium minime impedit, alias esset illicitum. Adde, nec ea omnia verba ad solos Ecclesiæ ministros referri, sed ad omnes etiam fideles, ut late & erudite probat *Valentia in suis controversiis, libro unico de cœlibatu, cap. 3.* Ad 3. dic, esto admittamus vaticinium esse de continentia ministrorum novæ legis, non concludi id fore præceptum divinum, sed vaticinium verificari, sive lege divina sive Ecclesiastica, præcipiatur illis continentia. Ad 4. respondeo non inde colligi esse divinum præceptum, sed conforme voluntati Christi, qui voluit castitatem in Ecclesia enitere, eo modo, quod bonum ipsius status pertineret. Ad ultimum dic, inde argui esse conforme rationi naturali, ut ei statui annectatur castitas, tanquam res illi decentissima, non tamen concluditur esse omnino necessaria.

SUM-

SUMMARIUM.

An obligatio clericorum ad continentiam sit ex voto? Refertur quædam sent. nu. 9.
Hæc obligatio est ex voto, 10.
Quid sit promotus ad ordines sacros ignoret votum continentiæ illius annexum, 11.
Quid, si noluerit tunc vovere, & an peccet mortaliter? 12.
Quid, si ordo sacer fuit irritus, vel quia fuit collatus a non vero Episcopo, vel defuit aliquid substantiale, 13.
An sit dicendum, initiatos sacris teneri duplici obligatione ad castitatem, nempe ex voto, & Ecclesiæ constitutione? 14.
Solvuntur argumenta, 15.
Post nu. 15. inveniés summaria cetera quæ desiderantur.

Quæstio II. An obligatio, qua tenentur clerici sacrorum ordinum ad continentiam servandam, sit ex mera constitutione Ecclesiæ præcipientis continentiam illius, vel ex voto, Ecclesia annexuit ordini sacro? Constituto jam ex sola Ecclesiæ constitutione teneri hujusmodi clericos ad continentiam, superest discutere, an ea obligatio sit ex Ecclesiæ præcepto directe præcipiente illis castitatem, ut præcipit audire Missam diebus feriatis: vel immediate sit ex voto castitatis in ordine sacro tacite emisso, mediate autem ex Ecclesiæ constitutione, quæ id votum ordini sacro annexuit, quod jure divino annexum non erat. Et procedit quæstio ex se & seclusa ignorantia talis voti, aut contraria volantate: de quibus eventibus dicitur nu. 11. & 12. Nec existimet quidpiam, parum referre ad rem moralem, unum aut alterum dicere. Nam multum refert, si enim est merum præceptum Ecclesiasticum valida erit dispensatio Pontificia ad contrahendum matr. absque causa concessa. Secus si sit obligatio ex voto; præterea, licet validum sit in utroque casu matr. virtute illius dispensationis absque causa concessæ initum, quod solo jure Ecclesiastico id votum dirimat contractum matr. sequentem: ut dicemus disp. seq. n. 11. At si sola constitutio Ecclesiæ obliget ad castitatem, cum sit omnino valida dispensatio, poterit post initum matr. pati debitum: secus si obligatio sit ex voto. Quia cum invalida fuerit voti dispensatio, obligavit votum, in quantum patitur status matr. nimirum ad non petendum debitum, quod latius libro sequenti dicemus disp. de dispensatione in voto solemni ordinis sacri. Dicunt ergo quidam in præsenti disputatione, eam obligationem non esse ex voto, sed ex Ecclesiæ statuto: atque ita votum illud annexum ordini sacro, quod rem ipsam attinet, aliud non esse, quam illam obligationem jure Ecclesiastico inductam ad non ducendam uxorem post sacros ordines susceptos, & ad perpetuam continentiam deinceps servandam: eamque obligationem appellari votum continentiæ (ait *Valentia statim allegandus*) implicitum: quod impolita sit iis, qui sacris initiantur, ob majorem Dei cultum, qui finis in votis respici solet, & appellari solemne: quia instar voti solemnis dirimit subsequentem matr. contractum. Ducitur hæc sententia, Quia cum votum sit lex privata, quam quisque sua sponte sibimet imponit, non videtur qua ratione in Ecclesiæ facultate situm sit, voto aliquem obligare, quamvis lege sua possit illi continentiam indicere. Deinde, quia ad sacros ordines promotus tenetur æque continere, quamvis ignoret invincibiliter votum illis annecti, aut expresse nolit vovere. At tunc constat non obligari ex voto, quod est lex privata, propria sponte suscepto. Et ideo hujus sententiæ sunt *Scotus 4. d. 37. q. un.* §. *Dico igitur*, *Mathesilanus*, quem referunt *Scotus 4. d. 37. q. un.* §. *Dico igitur*, *Mathesilanus*, quem referunt & sequuntur, dicentes esse communem sententiam, *Carden. clem. Ad nostram*, *vers. 7. n. 3. de hæret.* & *ibi Imol. n. ult. Innoc. c. Placet*, *nu. un. vers. Ex hoc apparet*; *de conversj. coniug. Archid. c. Cum in præterito*, *super v. Annexi*, *n. 2. d. 84.* & *ibi Laurent.* & *Hugo per ipsum allegat.* & *ibi Turrec. ad fin. idem Turrec. c. Placuit*, *art. 1. n. 6. in solut. ad 5. d. 32 Joan. de Lignano c. 2. de cleric. conjug. præpos. rubr. qui clerici*, *vel vov. n. 3.* & *nu. fin. Henric. c. Rursus*, *in fin. qui cleric. vel vov. Bellam. c. De illo*, *nu. 4. d. 32*, *Palud. 4. d. 37. q. 1. a. 2. n. 14.* & *d. 38. q. 2. art. 2. un. nu. 12. Gandavo quodl. 5. q. 38. Decius c. Ai sit clerici*, *in principio, in nova edit. num. 235. vers. 3. Limitari potest*, *de judiciis*, *Bonifacius clem. un. num. fin. de consang. Paleotus de notbis & spuriis*, *c. 16. n. 15. Stunic. de voto*, *qu. 4. Guttier. qu. canon. l. 2. c. 7. n. 45. Valentia 4. par. tract. de sacram. ordinis*, *disp. 9. q. 5. punct. 5. §. 1. paulo post princ.* & *in suis controversiis*, *lib. un. de cœlibatu*, *cap. 2 paulo post princ. Baltasar Magaolon tr. De bis*, *quæ vi*, *c. 8. §. 2. num. 26.* & est probabile.

10 Ceterum multo probabilius est, eam obligationem non consurgere immediate ex constitutione Ecclesiæ, sed ex voto castitatis, quod Ecclesia suo præcepto annexuit ordinibus sacris: cogitque eos, qui ordinem sacrum assumunt, ut votum castitatis emittant, non expresse, sed facto ipso, & tacite, quamvis enim non voce voveant, at facto & opere profitentur castitatem per sagrorum ordinum susceptionem: sicut per delationem habitus professorum, & exercitium actuum illis solis competentium in religione approbata indicitur tacita solemnis professio, *cap. Vidua*, *de regular.* Et quidem probatur primo id fuisse potestati Ecclesiæ, & vere sic votum ligare. Quia quamvis Ecclesia neminem possit absolute cogere ad continentiam, quod sit res meri consilii, *c. Integritas 32. q. 2.* At in ordine sacro, quem confert, potest apponere conditiones, & leges justas illi statui convenientes, qualis est, ut ad illum promotus, castitatem voveat. Sicut quilibet in rei suæ traditione potest legem apponere, *l. In traditionibus*, *ff. de pactis*. Et suppositia hac lege, eo ipso quod quis vult sacris initiari, vult ex consequenti vovere, sicut vult obligari ad recitandum officium canonicum, quod similiter est onus ordini annexum. Quare id votum non est absque propria voluntate, ut qui officium prætoris obit, aut ad Episcopatum provehitur, contrahit eo ipso obligationes statui, & officio annexas. Deinde probatur revera Ecclesiam decrevisse, ut promovendi ad ordinem sacrum id votum emittant. Nam *D. Greg. lib. 1. epist. 42. in fin.* & refertur *c. 1. d. 28.* sic ait, *Nullum facere Diaconum præsumant Episcopi*, *nisi*, *qui se vitiorum caste promisserit*. Ubi *glos. v. Promiserit*, dicit expresse vel tacite. Et *c. Diaconi*, *ead. d. quod est ex Synodo Ancyrana cap. 10.* sic dicitur: *Quicumque sane tacuerunt*, & *susceperunt manus impositionem*, *professi continentiam*. Cum ergo Episcopi non sint transgressores hujus præcepti, sed id observent, suscipientes, intelliguntur ipso facto vovere castitatem licet non verbo. Idem probatur ex *c. Cum olim*, *de cler. conjug.* ibi: *Non igitur attendentes quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit*. Ergo supponit in Ecclesia Occidentali, quæ est Latina, id votum continentiæ esse ordinibus annexum. Præterea id appellatur votum *c. un. de voto*, *in 6* & *Extrav. antiqua*, *Joannn. 22. de voto*. Et in Concil. Tolet. II. & refertur *c. de his d. 28.* Et ideo hanc partem sustinent *D. Thom. 4. d. 37. q. 1. art. 1. corp.* & *ibi Ricar. art. 1. quæst. 1. corpor. Capreolus 4. d. 33. unica*, *art. 1. fin.* & *ibi Deza q. un. art. 4. ad fin. Cajet.* reproban contrariam sententiam, *in opusc. tom. 1. tr 27. de dispensatione matrim. in Occidentali Ecclesia*, *q un.* §. *Quod secundum*, *Abul. c. 5. Matth. q. 200. paulo post princ. VWaldensis de sacramental. cap. 66. nu. 2. D. Anton. 3. p. tom. 1. c. 8. concl. 2. Clissoveus de vita*, & *moribus sacerd. c. 21. paulo post princ. Arboreus lib. 5. Theosophiæ*, *cap. 7. paulo post princ. vers. Rursus objiciet*, *Sot. lib. 7. de Justit. qu. 4. art. 2. col. 4. vers. De tertia proposit.* & *q. 5. art. 3. ad 2.* & *4. d. 38. qu. 1. art. 1. col 4. vers. Et tamen animadvertendum*, & *art. 2. col. 3. vers. Quare profecto*, *Petr. de Soto lect. 5. de matrim.* §. *Ceterum rationem*, *Castr. l. 13. adversus hæreses*, *v. Sacerdotum*, *hæresi 4. Vigueriur lib. 1. instit. c. 16.* § *7. vers. 9. impedim. 4. paulo post princ. Michael Medina* late impugnans contrariam sententiam *lib. 5. de sacrorum homin. continent. cap. 2.* & *seq. Ovand. 4. d. 26. q. un. prop. 9. Palac. 4. d. 37. q. un. concl. 3 in fin. Toledo lib. 4. sum. c. 17. n. 21.* & *l. 7 c. 8. n. 3. Bellar. in suis controv. lib. 1. de matrim. c. 21. paulo post princ.* §. *Impedimenta*. Et *lib. 1. de clericis cap. 18. paulo post princ.* §. *At beatus*, *Philiar. de offic. sacerd. to. 1. p. 2. l. 2. cap. 9. statim in princ. Arag. 2. 2. q 88. art. 11. col. 2.* §. *His constitutis*, & *col. 4. fin. Enriq. lib. 10. de sacram. ord. c. 14. nu. 7. fin.* & *lib. 12. de matrim. c. 5. num. 9. Emman. Sa in summ. v. Ordo*, *num. 28. Bonac. 2. 2. q. 11. ar. 1. p. 672.* §. *Secunda concl. Azor* impugnans contrariam sententiam *l. 13. instit. moral. c. 12. q. 6.* & *c. 14. q. 10. Vega 2. 1. sum. c. 57. cal. 7.* & *11. Petr. de Led. de sacram.* ubi de sacram. ordin. *cap. 6. disc. 1. dist. 3.* & *de matrim. q. 53. ar. 3. dub. 1. in corol. quod infert ex 3. concl. Bart. a Led. de sacram. ordin. dub 14. col. penul. vers. 7. Lud. Lop. 2. p. instr. de matrim. c. 43. col. 5. vers. Ad verbum*, *Manuel 2 t. sum. edit. c. 96. n. 4. concl. 4.* Et ex Jurisperitis, *gl. c. Conjugatus*, *v. Continentiam*, *de conversj. coniug.* & *Extrav. antiq. Joan. 22. de voto*, *in fin.* & *c. un. de voto*, *in 6. in casu positione*, *notab. 3.* & *v. Sacri*, & *ibi Dominic. n. 5.* & *ibi Fran. n. 1. not. 4 gl. c. Cum olim*, *v. Votum*, *de cler. conjug.* & *ibi Host. n. 1. fin. Ant. n. 8. Abbas n. 4. Card. in fin. Imol. n. 7. Calder 1. qui clerici*, *vel vov. cons. un. ad fin. Idem Hostsum. 1. de ætate*, & *qualit. n. 5. vers. Sed nunquid conditionalter*, *Speculator t. De statu monac.* §. *ult. n. 42. idem Abbas e. Joan. n. 1. not. 1. de cler. conjug. idem Card. c. un. nu. 1. q. 1. de cler. per saltum promoto. Idem Dominic. c. 1. nu. un. vers. Nota*, *quod*, & *c. Diaconi*, *fin. 28. d.* & *c. Quoniam*, *n. 3. d. 31.* & *c. Placuit*, *num. 1.* & *c. Nemo*, *paulo post princ. d. 32. Idem Imol. c. Ut clericorum*, *n. 1. de vita*, & *honest. cler. Barbat. cons. 60. n. 5. vol. 1. Monal. sum.* ubi de voto, §. *Qualiter possit votum redimi*, *Alfensis summ. 2. p. l. 8. t. 22. art. 1. q. 3. Lex regia 39. t. 6. p. 1. Turrec. c. 1. n. 1. d. 28. Rosel. v. Impedim. imped. 11. n. ult. Supplementum sum. Pisanæ*, *v. Ordo 1. n. penult. Sylv. matrim. 8. q. 12. d. 2. Nav. sum. c. 22. n. 52. Alex. Carrer. l. 3. de sponsal. cap. 3. Greg. Lap. l. 32. v. Ha tal virtud. t. 6. p. 1. Anton. Cuc. lib. 5. instit. major. t. 12. n. 219. Guttier. l. 2. q. can. c. 7. n. 2. Stunica de voto*, *q. 6. n. 119 Barbos. rubr. ff. solut. matrim. 2. p. nu. 100.* & *101. Spino speculo testam. gloss. 12. principali num. 2. vers. Votum autem solemne*.

Quid autem dicendum sit, si initiatus satis ignoraret votum ordini annexum, non constat inter Doctores. Id autem absque controversia est, ita initiatum teneri omnino continere, nec posse valde mirari. inire, quod potuerit Ecclesia justissima de cœlibatu clericorum legem indicere, atque ea ligare quoscumque in posterum promovendos, sive scierint, sive ignorarint prædictam legem. Sicut quantumvis ignorent, tenentur officium recitare, & alias statutas leges observare. Eo vel maxime, quod lex semel legitime promulgata omnes ligat, quantumvis ignorantes: quamvis hinc culpa transgressionis legis excusentur, ut tradunt DD. in materia de legibus. Eam autem esse Ecclesiæ mentem in lege cœlibatus constat ex usu Ecclesiæ. Et ita docent *Joan. Andr. c. Joan. num. 17. q. 2.* & *ibi Anton. n. 13. Anchar. n. 8. q. 1. Card. q. 6. q. 1. Imol nu. 15. de cler. conjug. gl. c. Presbyt. v. Ignorant*, *d. 28.* & consentiunt omnes DD. statim allegandi: in sola enim ratione obligandi discrepant. Hoc autem intelligendum est, quando quispiam novit se ad sacrum ordinem promoveri, at continentiæ votum annexum ignoravit. Si enim penitus ignoravit se ordinem sacrum recipere, non cogetur in foro conscientiæ continentiam servare, quod non susceperit sacrum ordinem voluntarie: eo quod fuerit ordinatus ignorans prorsus, quid in eo fieret, ut disp. 30. dicemus idem de infante ordinato, propter eamdem rationem. At in foro externo cogetur utique. Quia ea ignorantia non præsumetur probabilis. Ita docet *Azor lib. 13. instit. moralium, c. 14. q. 10.* Discrepant vero DD. num scienter ordinatus ignorans prorsus votum annexum ordini, teneatur continere ex voto, an ex sola Ecclesiæ constitutione. E quibus ea hac sola teneri, affirmant *Vincentius*, & *Goffredus*, *c. Cum olim*, *de clericis conjug.* quos refert, dicens eorum opinionem esse verissimam, *Abbas ibi n. 4. Monaldus*, & *Rosella n. præc. allegati*. Idem *Silvester* quando ignorantia fuit invincibilis, secus si talis, ut non excusarit, *Matrimonium 8. q. 12. dilo 2.* & *Nav. sum. Hisp. c. 25. n. 108.* ait teneri tunc (saltem ex Ecclesiæ constitutione) Quod inde probatur, quia votum est lex privata, quam quispiam sponte sua sibi imponit. At ignorans prorsus votum, caret voluntate vovendi, ac per consequens imponendi sibi eam legem. Aliis autem placet teneri tunc etiam ex voto. Quia eo ipso, quod sciens, & volens est sacris ordinibus initiatus, licet ignorarit votum annecti, emisit tacite votum. Qui enim unum sciens, & prudens efficit, & vult, facit, & vult subinde ei annexa. Ut scienter suscipiens prætoris munus, voluntarie quoque suscipit onera officio annexa, licet ea ignorarit: eo vel maxime, quod ascendens ad ordinem sacrum semper novit se alium statum eligere, & ascribi militiæ clericorum, & accedit intentione saltem virtuali faciendi, quod vult Ecclesia, atque ita consequenter vovendi, ut Ecclesia præscribit, licet ipse ignoret, quid Ecclesia velit, ac præcipiat. Et hoc mihi valde placet. Et ita sustinent ex voto teneri *Cardinalis de c. Cum olim*, *in fine. Et ibi Immola n. 7. Azor. l. 13. institutionum moralium*, *c. 14. q. 10.*

12 Similis difficultas est de promoto ad sacros ordines, qui in promotione habuit expressam intentionem minime se ad continentiam obligandi. Hunc enim adhuc ad eam obligari, saltem ex Ecclesiæ constitutione, quæ omnes sponte promotos, velint nolint, obligat, nemo est, qui dubitet: nec in dubium id vertere possit. Atque hunc peccare mortaliter, si habuit intentionem non promittendi vere, & ex animo continentiam, recte docuit *Palacios 4. d. 37. disp. un. concl. 3. fine*, quod in re gravissima contraveniat statuto Ecclesiæ. In dubium autem vertitur, an tunc teneatur ex voto. Id enim aliqui affirmant, quod id votum annexum sit ex Ecclesiæ constitutione ordini independenter ab ordinati voluntate. Sicut, & onus recitandi officium Canonicum. Ita affirmant *Ricardus 4. d. 37. a. 1. q. 1. corp. Palud. 4. d. 38. q. 2. ar. un. n. 12. Nav. sum. c. 22. n. 25. Palacios 4. d. 37. disp. un. concl. 3. fine*. Alii dicunt idem, quia licet protestetur, se nolle continere, at accedens postea ad ordines, videtur ab ea voluntate per protestationem declarata recedere. Sic *Domin. c. Diaconi*, *ad fin. d. 28.* Idem significat *Toledo leg. 7. Sup. c. 8. nu. 3.* reddit enim hanc rationem: quia illa nolitio est sola quædam noleitas, at absolute vult, quando vult ordinem. Aliam rationem tradit *Turrecr. c. 1. n. 1. d. 28.* quia habens intentionem non vovendi, adeo violenter præsumitur vovisse, ut nulla probatio admittatur in contrarium. Sed hæc ad forum contentiosum pertinent, in quo præsumitur recessus ab ea contraria voluntatis protestatione: nec admittitur oppositi animi probatio. Ideo mihi placet, ubi vere adfuit animus non obligandi se ad continentiam, ex sola Ecclesiæ constitutione teneri sic promotum ad continentiam servandam, & abstinendum a matrim. Quod ad cetera præcepta, & onera ordinibus annexa, possit Ecclesia sponte ordinatos, velint, nolint, astringere; secus de voto: id enim ejus naturæ prorsus repugnat: utpote, quæ est lex privata, quam quispiam sibimet voluntarie imponit. Et ideo hanc partem tuentur *Paludan. 4. d. 37. q. 1. a. 2. n. 14. Suppl. Gabr. 4. d. 38. q. un. ar. 2. ad fi. vers. Hinc colligi potest*, & *d. 37. q. un. ar. 2. post 2. concl. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 8. post 2. concl. Silv. Matr. 8. q. 12. d. 2. Dur. 4. d. 37. q. 1. fi. corp. Arbor. l. 5. Theosoph. c. 7. paulo post princ. vers. Rurs. objiciet. Bassolis 4. d. 47. q. un. ar. 1. Nicol. de Nissa super 4. sent. tr. 6. p. 2. de matr. q. 7. paulo post princ. Ant. Cuc. l. 5. inst. major. t. 12. n. 220. Palacios 4. d. 37. disp. un. col. 2. vers. Quod vero sint. Angl. Floribus*, 1. *p.* ubi de matr. *q. 11. de imped. ordinis*, *ar. 1. diffic. 4.*

13 De promoto vero invalide ad sacros ordines, qui vere proliter requisito: aut quia ordinari finxit Episc. an valide possit inire matrim. dubitavit *Damasc. in q. sua 2. tit. qui cler. vel vov.* Quod sponsalia etiam nulla ex alio defectu, quam consensus, pariant publicæ honestatis impedimentum, *c. un. desponsi. n. 6.* at in eam partem inclinavit, ut matr. valeat. Quæ verissima est, ut statim probabo: & ita docent *gl. un. verb. Approbatis*, *de voto*, *in 6.* & *ibi Archid. n. 3. Joan. Andr. ad fi. Domin. nu. 14. Pal. 4. d. 38. q. 2. ar. un. n. 10.* & *11.* & *ibi Sup. Gabr. q. un. ar. 2. vers. Secunda divisio voti Abul. c. 30. Num. qu. 61. fin. Brun. de sponsi. concl. 31. n. 7. Barb. rub. ff. sol. matr. 2. p. n. 100.* Discordant autem prædicti DD. an hic saltem voto simplici teneatur ad castitatem, ac proinde peccet matr. iniens. Quod affirmant *Joan. Andr. Domin. ac Brunel. ibi*. Ducuntur, quia profitens in religione, quam falso existimabat approbatam, vel alias invalide, tenetur ob suam profitendi intentionem voto simplici castitatis, *c. Quidam*, & *c. Placet*, *de conv. conjug.* similiter ergo invalide ordinatus tenebitur ob intentionem validum ordinem suscipiendi, simplici castitatis voto. Et confir. quia procedit in hoc casu ratio decisionis illorum textuum, nimirum, ut actus, qui non valet eo modo, quo fit, valeat modo, quo valere potest: juxta textum *c. un. §. Porro, de desponsi. impub. in 6.* Ceterum verius est, hunc ad nil prorsus obligari. Quod docent *Palud. Suppl. Gabr. Barb. eisdem locis*. Qui bene tradit disparitatis rationem inter invalide profitentem, & invalide ordinatum. Quia cum castitas sit essentialiter annexa statui religioso (ut probavi disp. 25. n. 8.) non vero ordini sacro (uti dixi hac disp. n. 5.) sed ex statuto Ecclesiæ, tanquam accessoria statui, & tacite in ejus susceptione promissa: hinc est, ut profitens in religione emittat per se, & principaliter, votum castitatis: quamvis ergo non valeat ut solemne propter aliquem acceptationis defectum, valebit eo modo, quo valere potest, nempe, ut simplex. At suscipiens ordinem sacrum non emittit per se, & principaliter, votum castitatis, sed accessorie, & in consequentiam status, ob Ecclesiæ constitutionem. Quando igitur principale non valuit, id, quod venit in consequentiam, nullum effectum producere potest, *l. 3.* §. *fin. ff. de serv. rustic. præd. l. Cum principalis*, *ff. de reg. juris*.

Ex dictis forsan quispiam inferet, ordinatum sacris ordinibus 14
sponte, ac consium voti castitatis annexi, duplici obligatione adstringi ad castitatem, altera ex voto, altera vero ex Ecclesiæ constitutione. Si enim ea duplex obligatio non concurreret, ubi cessaret obligatio voti, nempe, in volenti non vovere, nulla obligatio superesset, quod est contra omnes, & contra dicta n. 11. & 12. Rursus inde inferet, constitutum in sacris fornicantem, duplici malitia ultra simplicem fornicationem infici, & ea quidem specie diversa, ut judex extrahens injuste reum ab Ecclesia, adstrictus voto non extrahendi, admittat duplex sacrilegium, alterum, contra Ecclesiæ præceptum jubentis, ob loci sacri reverentiam, ne extrahat: alterum autem, contra votum id interdicens, ob fidem traditam præstandam Deo. Similiter ergo peccabit sic promotus contra voti fidem, ac contra Ecclesiæ præceptum continentiam indicens ob reverentiam ordinis. Sed id omnino negandum est. Idque communis omnium conceptio attestatur. Nullus enim asserit eam duplicem malitiam: imo (ut n. 30. videbimus) sacerdos fornicans, si professus sit, sat fatebitur dicens se esse professum, tacito sacerdotio. Quod verum habere non posset, si in sacerdote esset alia malitia, ultra contra votum, quod in professo. Quare dicendum est, præceptum Ecclesiæ non esse immediate de continentia a sacerdotibus observanda, sed de voto castitatis emittendo, quod ubi emissum fuerit, obligabit, ac ab illo consurget ea continentiæ lex: ac dicetur mediate procedere ex Ecclesiæ constitutione, non quasi Ecclesia novum continentiæ præceptum statuat (ut contingit in exemplo judicis allato) sed quia Ecclesia præcepit id votum emitti (ut dixi n. 10.) Et optime docet *Medina l. 5. de sacrorum homcontinentia*, *c. 3.* Quare hoc significantes dixerunt, *Vincentius*, *Goffred. Abb. Rosel. Silv. n. 11. allegati*, conscium voti annexi dum ad ordines sacros promovetur, teneri ex voto ad castitatem: ignarum autem ignorantia probabili, ex Ecclesiæ præcepto. Et similiter *Arboreus n. 12. relatus*, dixit non habentem contrariam voluntatem teneri ex voto: habentem autem ex Ecclesiæ lege. Quasi Ecclesia directe voluerit solum ad votum emittendum astringere, & eo adstrictum noluerit amplius ligare: quia tamen in facultate ordinati situm erat fingere votum, nec Ecclesia potest aliquem voto obligare contra ejus voluntatem: ne in foro conscientiæ ordinatus ille, qui noluit vovere, ab obligatione speciali continentiæ annexa ordini liber maneret, instar ficte professi, illum sua speciali lege Ecclesia astrinxit: nec diversus finis allegatus voti, & prædictæ constitutionis, duplicem arguit malitiam, ut n. 30. declarabimus.

Ad arg. n. 9. proposita constat ex dictis n. 10. 11. & 12. ubi explicuimus, qualiter Ecclesia possit cogere ad id votum emittendum, 15
illudque lit voluntarium. Et an nolens, vel ignorans voto ligetur.

SUMMARIUM.

An votum solemne ordinis consistat in vera traditione, & *sit per se*, & *ex natura sua solemne. Refertur opinio, nu. 16.*
Proponitur sententia Auctor. n. 17. & *ibi enodatur e un. de voto, in 6.*
Solemne ordinis differt specie a solemni professionis, non autem voto simplici, nec ex natura rei, 18.
Initiatus ordine sacro fornicans, est reus sacrilegii, ac tenetur eam circumstantiam fateri, 19.
Rejicitur sent. asserens monachum, aut clericum ordinis sacri fornicantes, non esse reos voti violati, 20.
Refutantur dicentes concubitum sacris initiati esse simplicem fornicationem, 21.
An qui simul sacerdos, & *professus est, si fornicetur, satisfaciat confitens, se sacerdotem, aut professum esse? Refertur triplex sententia, 22. 23. 24.*
Vota, aut juramenta multiplicata non constituunt novam malitiam necessario fatendam in confessione, 25.
Secus si juramentum, & *votum de eadem re, 26.*
Professus fornicans non satisfacit, si se votum emisisse dicat, 27.
Nec si sit simul sacerdos, & *dicat se esse sacerdotem, 28.*
Nec si dicat se fecisse votum solemne, sed debet se professum dicere, 29
Satisfacit dicens se esse, sacerdotio tacito, professum, 30.
Sacerdos non professus fornicans, satisfacit dicens se esse ordinis sacri, 31.

Imo sat est dicere se contra votum deliquisse, 32.
Nec Episcopus, aut prælatus religionis fornicans, tenetur secluso scandalo circumstantiam dignitatis fateri, 33.
Si religiosus Soc. Jes. nondum solemniter professus fornicetur, satis fatetur dicendo se peccasse contra votum castitatis: nec peccata religiosi voti non adversa continent circumstantiam necessario fatendam. 34.
Qui facit expresse votum castitatis, & est sacerdos, & emisit vota simplicia biennii in Societate Jesu, satisfacit explicans se votum castitatis violasse, 35.
Quid, si professus, vel sacerdos, vel habens votum castitatis, promiserit se non habiturum mollitiem, 36.
Si professus, aut sacris initiatus, aut alio voto castitatis ligatus, juret se servaturum castitatem, tenetur hanc circumstantiam juramenti fateri, 37.
Probabile est professum sacerdotem fornicantem satisfacere dicendo se emisisse votum castitatis, 38.
Solvuntur argumenta, 39.

QUæstio ultima. An votum solemne ordinis sacri consistat in vera, & perfecta traditione, per quam eo ordine initiatus se dominio sui corporis abdicat, & illud transfert in Deum, instar voti solemnis professorum, sitque per se, & ex natura sua solemne? Fortiter enim id ita esse suadet textus *c. un. de voto, in 6.* ubi Ecclesia illud votum ut solemne admittit, & æquiparat illud voto solemni professionis. Idemque habetur in *Extr. Antiquæ Joannis 22. de voto*. Quod si dicas, expresse non appellari solemne simpliciter, sed quoad effectum dirimendi matrim. Cum eodem prorsus modo loquatur uterque textus de voto solemni professionis, idem de eo dicendum erit: atque ita concludetur, aut in neutro, aut in utroque voto esse veram traditionem. Et confirm. quia non est ratio cogens, cur negemus eam traditionem in ordine, quam concedimus in professione religionis, licet non quoad omnia, ad quæ se tradit religiosus, quia promotus ad ordines non vovet paupertatem, at quo ad castitatem servandam, quam uterque solemniter vovet. Cum uterque status sit fixus, & immobilis omnino: ita ut contra gesta sint prorsus irrita, 2. quia ordinatus se dedicat divino obsequio ad castitatem servandam, & mutat status: at Episcop. nomine Ecclesiæ acceptat. Et si dicas nullam esse formam traditionis nec acceptationis, Obstat; quia idem contingit in professione tacita: votum autem hoc solemne est tacitum, 3. quia Gregorius XIII. in bulla quæ incipit, *Ascendente Domino*, appellat vota, quæ religiosi Soc. Jesu emittunt finito novitiatus biennio, simplicia. Cum tamen per illa statuat dirimi subsequens matr. Non igitur sufficeret per votum sacro ordini annexum dirimi sequens matr. ut appellari deberet solemne, si in eo traditio non esset. Et confirm. quia cum de voti solemnis essentia sit perfecta traditio (ut diximus disp. 25. n. 7.) si in hoc voto traditio perfecta non reperiatur, neutiquam erit solemne. Quod est contra *d. c. unicum:* & contra *d. extrav. Antiquæ*. Et ita in eo voto esse traditionem, per quam transfertur dominium corporis in Deum, affirmant *Jo: Andr. cap. un. de voto, in 6. n. 1. & ibi Archid. n. 1. Anchar. n. 2. notab. 3. Domin. n. 10. Card. Clem. un. n. 19. q. 24. de confang. Matina l. 5. de sac. hominum continentia, cap. 8.* asseritque tam vere solemne esse, ac tam veram traditionem continere, ac professionem, & tantum differre, quod sit traditio ad pauciora. Et D. *Thom. 4. dist. 38 q. 1. art. 2. q. 3. corp. & ibi Ricar. ar. 7. q. 2. corp. Brunel. de sponf. concl. 31. n. 2. Celaja 4. d. 37. q. 4. Beja in sua sum. casu 42. statim in princ. Matiezo lib. 5. Recop. tom. 1. rubr. gl. 1. n. 157. Barbosa rubr. ff. solut. matrim. 2. par. n. 90. fin. & n. 98. 99. Graffis 2. par. dec. l. 2. c. 12. n. 40.* æque ponunt traditionem in ordine sacro, ac in professione. Faciunt etiam docentes votum solemne professionis, & ordinis esse ejusdem speciei: quos n. 18. referam.

17 Alii DD. quos disp. 25. n. 7. retulimus, dicentes essentiam voti solemnis consistere in ea traditione, per quam dominium corporum transfertur jure naturæ, dicerent id votum non esse simpliciter per se solemne, quia non reperitur in eo perfecta traditio, qua transferatur dominium corporis in Deum, sed esse per se votum simplex castitatis, dici autem per accidens, & extrinsece solemne, quod habeat effectum potissimum, ex Ecclesiastica constitutione annexum voto solemni, qui est subsequens matrimonium dirimere. Nec hic loquendi modus alienus est a vero loquendi modo, quo universi Theologi loquuntur. Nam omnes illi eam vim Sacramentis, saltem pœnitentiæ, & Baptismi tribuunt, ut ex attrito efficiant contritum: cum tamen substantia doloris, & objectum, eadem perseverent, & dolor ille, qui ante susceptum Sacramentum erat propter pœnas inferni, non transit in dolorem propter Deum, ac proinde per se, & essentialiter dolor ille prior est attritionis per susceptionem Sacramenti: appellatur vero per accidens, & extrinsece dolor contritionis, quod virtute Sacramenti habeat eumdem effectum qui competit contritioni absque actuali Sacramenti receptione, cum solo proposito recipiendi, qui est restituere peccatorem ad gratiam. Sic ergo votum illud annexum ordini sacro est per se, & essentialiter simplex: at dicitur solemne extrinsece, & per accidens, quia habet eumdem effectum voti solemnis. Et ideo caute *c. un. de voto in 6.* non appellatur solemne absolute, & simpliciter, sed quoad effectum dirimendi matrimonium: & quo id hoc æquiparatur voto professionis: & sicut non obstante ea æquiparatione, est differentia in modo dirimendi, quod votum solemne (inquiunt) dirimat ex natura sua, & jure naturali (ut probavimus disp. præc. n. 4.) at votum ordinis sola constitutione Ecclesiæ (ut dicemus disp. seq. n. 11.) ita est differentia in modo, quo utrumque est solemne. Sed dicens, eam differentiam non colligi ex eo textu. Id fatebuntur DD. hujus sent. sicut neque colligitur discrimen modo irritandi, at colligitur ex ratione, & auctorum doctrina. Et *Cajet.* est expresse hujus sent. *tom. 1. opusc. tr. 27. de dispensatione matrimonii in Occidentali Ecclesia, q. un. §. Videtur autem mihi*: ubi ait, id votum non esse solemne per se, sicut votum professorum, sed per accidens solemne. Quia per accidens conjungitur sacro ordini: nec ordinatus exhibet seipsum ad castitatem, sed ad ordinum ministerium. Ubi expresse vocat solemne per accidens, & dicit in voto castitatis non esse traditionem. Et fere expresse idem tenet *Sotus l. 7. de just. q. 5. ar. 3. ad 2. vers. Sed inferes*, ubi ait, votum hoc non esse ex jure divino solemne, sed ex jure positivo, hoc est, solo statuto Ecclesiæ reddens personas inhabiles ad matrim. Ubi clare totam hujus voti solemnitatem in eo sitam esse dicit, quod ex Ecclesiæ statuto dirimat matrimonium subsequens. Et *eo. l. 7. q. 2. ar. 5. col. 6. paulo ante vers. Igitur si opinio*, ait, si votum solemne professionis solo jure humano dirimeret subsequentem matrimonii contractum, ablato eo statuto, id votum manere per se simplex. Cum igitur ipse sentiat, votum solemne ordinis solo jure humano dirimere, censet aperte id votum nullam aliam rationem voti solemnis habere præter illam extrinsecam, & per accidens sibi conjunctam solo Ecclesiæ statuto dirimendi matrim. Idem non obscure sentiunt Doctores, qui traditionem voti solemnis in eo constituunt, quod per ordinem constituatur clericus sub Episcopi potestate ad cultum Dei, & ad divina officia, ac ideo sit aliqualis traditio, cui non repugnat matrim. sed per accidens conjungitur castitas. Sic explicant. *Docan. 4. dist. 33. a. un. ar. 3. notab. 4. Valentia in suis controv. lib. uno de cœlibat. c. 2. Petrus de Ledesma de matr. q. 55. ar. 3. dub. 1. concl. 1. in ejus prob. & in solutione ad 1.* unde *in solutione ad 2.* concludit quamvis *c. unico de voto in 6.* æquiparetur votum professionis, & ordinis sacri, at revera esse maximam diversitatem inter utrumque votum, quæ colligitur ex ipsa rei natura. Et *ipsemet Valentia eo. c. 2. paulo post princ. & in sua 4. par. tr. de Sacramento ordinis, disp. 9. q. 5. puncto 5. §. 1. paulo post princ.* dicit votum hoc appellari solemne, quod instar voti solemnis dirimat matrimonium ex Ecclesiæ statuto. Et idem *Sotus lib. 7. de just. q. 2. ar. 5. col. 6. vers. Igitur si opinio: & Aragon 2. 2. q. 88. ar. 11. col. 11. §. Secundo est advertendum*, explicant eam traditionem reperiri in ordine, quæ est ad divinum cultum. Atque ita concludit *Aragon notab. 3.* esse latissimum discrimen inter traditionem, quæ est in ordinis sacri susceptione, & in professione. Constat ergo ex his omnibus DD. non esse veram traditionem, per quam transferatur dominium corporis in Deum, ad castitatem servandam, ut in religionis professione: sed aliqualem tantum, & non ad castitatem, sed ad ministeria divini cultus, ac per accidens adjungi votum illud castitatis. Erit igitur id votum, simplex ex natura sua, & per se: at extrinsece, ac per accidens solemne, quod voti solemnis effectum habeat. Deinde, quia universi fere Doctores, uno vel altero excepto, asserunt votum solemne ordinis dirimere ex solo statuto Ecclesiæ matrimonium subsequens (ut disp. sequenti videbimus) estque sententia recepissima. Cum tamen plerique ex illis dicant id competere jure naturali voto professionis, quod sit traditio, per quam transfertur dominium corporis in Deum (ut dixi disp. præc. n. 4.) Sentiunt ergo eam traditionem non reperiri in voto solemni castitatis ordini annexo; alias profecto eodem jure naturali dirimeret matrimonium. Quamvis enim id votum ex solo Ecclesiæ statuto annecteretur ordini, at semel annexum, si esset per se solemne, cum vera traditione, instar voti professorum, dirimeret utique jure naturali subsequens matrim. Sicut non obstante annexione solius juris Ecclesiast. obligat instar voti simplicis, jure naturæ, & divino, ac impedit eodem jure matrim. iniri. Adde *D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 11.* & moltos alios absque controversia fateri, posse Pontificem dispensare in voto solemni ordinis sacri, cum tamen posse in voto solemni professionis negent. Cujus differentiæ alia ratio esse nequit, nisi quod in voto ordinis sacri non reperiatur perfecta traditio, secus in voto professi. Tandem ratio hujus differentiæ ea est, petita ex rerum natura: ubi enim jus humanum non disponit, ad ipsas rerum naturas est confugiendum. Cum igitur ex nullo textu constet differentia inter ambo vota; imo æquiparentur, *cap. un. de voto, in 6.* ex ipsa utriusque status natura, differentia hæc petenda est. Status ordinis sacri non habet suapte natura castitatem adjunctam, sed ex solo Ecclesiæ statuto (ut num. 5. probavimus) nec promotus ad sacros ordines, suapte natura renunciat nuptiis, nec moritur sæculo, quasi ad aliam se transferens vitam, & ita non est cur dicamus illum alienationem sui facere: sed tantum ob ministerii sacri decentiam adjungit Ecclesia votum castitatis, statuens, ut per illud instar voti solemnis, dirimeretur matrimonium subsequens. Quæ omnia secus se habent in statu religionis, qui continet suapte natura castitatem, & est perfecta mors spiritualis, ut dixi disp. 23. n. 8. Ceterum retenta nostra sent. qua asserimus, non differre votum simplex, & solemne per solam traditionem (cum ea quoque reperiatur in aliquibus votis simplicibus, ut supra dictum est) sed ex solo statuto Ecclesiæ, dicendum votum ordini sacro annexum per se, & simpliciter esse solemne instar voti professorum, atque ita *Bonif. VIII. eo. c. un.* utrumque votum æquiparat, dicitque esse solemne.

18 Hinc 1. deducitur bene dixisse *Cordubam sum. q. 3. Lud. Lop. 1. p. instr. c. 29. ver. Præterea huic affinis est.* Votum solemne ordinis, & professionis non differre specie in genere moris, neque est audiendus *Manuel 1. to. sum. 2. d. c. 35. n. 5.* dicens utrumque votum differre specie a voto simplici. Sed dicendum est, neque hæc duo vota differre inter se specie, neque etiam a voto simplici, sed per solam Ecclesiæ constitutionem decernentis, hæc duo vota dirimere matrimonium, non autem votum simplex.

19 2. Deducitur pro materia confessionis, quid in ea quæstione dicendum sit. An professus in sacris constitutus fornicans, teneatur utriusque voti circumstantiam fateri? Et in primis, tanquam res certa, supponendum est, non tantum professum, sed etiam solo ordine sacro initiatum, fornicantem esse reum sacrilegii; ac proinde teneri fateri illam circumstantiam voti annexi ordini sacro: tanquam quæ speciem mutent. Constat, quia ultra fornicationem virtuti temperantiæ adversam, delinquit in religionem, violans castitatis votum. Quod si sentiat quispiam, obligationem castitatis annexam ordini sacro, non esse ex voto, sed ex mera Ecclesia constitutione: ut sentiunt Auctores n. 9. relati: adhuc tenetur dicere sacrilegam esse eam fornicationem. Quia cum Ecclesia castitatem præceperit clericis, ob reverentiam ministeriorum sacrorum quibus vacant: id præceptum ad religionem pertinet: ac subinde ejus violatio sacrilega est. Quod si quis velit dicere, id præceptum esse tantum de abstinendo a matrim. reprobatum esse n. 3. Idem etiam constat ex *Concil. Tolet. 2.* quod refertur *c. De bis, d. 28.* ubi expresse clericos fornicantes, tanquam sacrilegii reos, ab Ecclesia rejiciendos esse decernitur. Et ita sentiunt *Abulensis c. 5. Matt. qu. 204. columna 2. vers. De primo patet. Clichovæus de vita, & moribus sacerdotum, c. 21. paulo post principium, Nav. summa c. 25. nu. 108. Celaja 4. dist. 37. q. 3. Sotus lib. 7. de just. q. 4. ar. 2. col. 4. vers. De tertia propositione. Guttier. q. canon. l. 2. cap. 7. n. 3. Aragon 2. 2. q. 88. ar. 11. columna 2.* 23 *q. His constitutis. Toledo l. 4. sum. cap. 17. num. 21. Azor lib. 13. institutionum moralium c. 12. q. 6. ad finem.* Et omnes Doctores n. 22. & 23. allegandi hoc supponunt, & solum disputant, an qui simul sacerdos, & professus est, fornicans teneatur sacri ordinis, & professionis circumstantiam fateri, an solam alteram. Idem docet *Stunica de voto, q. 4. n. 28.*

20 Quare rejicienda prorsus est a sententia, quam amplectuntur *Gerson regulis moralibus, tractatu de matrimonio, alphabeto 25. littera I. Supplementum Gabrielis, 4. dist. 24. qu. unica, art. 3. post dubium, 3. vers. Hinc oritur dubium: & dist. 38. q. 1. ar. 3. §. Circa nunc dicta, post 3. dubium, conclusione 5. Tabiena Votum 1. n. 3. notabili* 2. asserentes fornicationem sacerdotis, aut monachi non addere circumstantiam specie diversam a simplici fornicatione, ac necessario fatendam, quod votum non cadat proprie supra materiam alio præcepto debitam, sed fit tunc quasi nova confirmatio, & ratificatio obligationis præcepti illius, ac proinde novam non addat, sicut contingit in eo, quia vota de eadem materia repetit: quorum transgressionem uni malitiæ obnoxiam esse dicemus, n. 25. Sed hanc sententiam erroneam, & longe a veritate alienam, & communi sentiendo modo appellat *Castro lib. 1. de lege pœnali, c. 10. col. 5.* Quia cum altera obligatio sit ex lege naturali divina, pertinens ad temperantiæ virtutem, altera autem sit ex voto, pertinens ad religionis virtutem, qua strictiori vinculo se obstrinxit vovens, ad castitatem, quam jure naturali servare tenebatur, & ad non ducendam uxorem, dicendum est necessario duas esse obligationes specie diversas, ac proinde in transgressione duplicem reperiri malitiam.

21 Similiter non est admittenda sententia aliorum, dicentium concubitum clerici sacris initiati, esse simplicem fornicationem. Ducuntur per *c. Quia circa, de bigamis*, ubi loquens textus de presbyteris concubinariis sic ait: *Cum eis tanquam simplici fornicatione notatis*, & *c. Presbyter, dist. 28.* ibi: *Presbyter si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit*. Sic docent *Card. clem. Ad nostrum, vers. 7. n. 3. de hæret. & ibi Imola n. ul. Idem Imola c. Ut cleric. n. 8. vers. Adverte tamen, de vita, & honest. cler. Felin. c. At si clerici, in prin. n. 14. vers. Utrum autem, & ibi Decius in nova edit. n. 229. vers. Non obstant, de judiciis. Bermond. de publicis concubin. §. Et alios non publicos concub. n. 12. 5. recep. §. Fornicatio, n. 18. & §. Incestus, n. 1. vers. Sed nunquid committitur. Bossius prad. 1. de coitu damnato, n. 10. & 16. n. 44.* At sententia hæc confunditur ex dictis n. 19. Et ad textus, quibus innititur, respondet bene *Azor l. 13. institutionum moralium c. 12. q. 6. ad finem*, id solum velle eos textus, ne clerici fornicatio fit appellanda adulterium, stuprum, incestuve. Quod nomen non pauci Jurisperiti illi tribuunt.

22 Potissima autem difficultas est, an sacerdos, qui simul professus est, fornicans, teneatur utramque circumstantiam fateri. An potius satisfaciat alteram explicans, aut se voto castitatis ligatum esse? Quidam ajunt minime teneri utramque circumstantiam fateri, sed satisfacere dicendo se sacro ordine initiatum esse, explicando, quod vota ordinis sacri, & professionis non distinguantur specie, nec aliam notabilem deformitatem addat. Sic sentiunt *Corduba sum. q. 3. Ovand. 4. dist. 25. q. unica post 9. propos. corol. 2. Lud. Lopez 1. par. instr. cap. 29. col. 9. §. Præterea huic affinis est. Manuel 1. tom. summæ 2. editione, c. 53. n. 5.* Citatur ab his *Nav.* pro sua opinione, *sum. Hispan. c. 28. in addit. ad nu. 11. c. 6.* sed ibi satis æquivoce loquitur. Nam quærens an religiosus sacerdos fornicans teneatur fateri esse religiosum, an sufficiat fateri se esse sacerdotem, ait: *Respondeo quod non*, ubi æquivoce loquitur, vix enim dignoles, an ea responsio negans correspondeat priori parti qu. & sic erit hujus sent. an posteriori, & sic erit contrariæ. Et *sum. Lat. cap. 6. nu. 13. in fine*, neutrum etiam explicuit, sed tantum dicit religiosum fornicantem teneri explicare se religiosum esse.

Alii censent sacerdotem professum fornicantem non satisfacere dicendo se sacerdotem esse, quod votum solemne religionis mutet speciem, aut notabiliter aggravet: & dicunt contrarium non esse probabile: & similiter dicunt teneri explicare circumstantiam sacerdotii, nec satisfacere dicendo se professum esse, & ordine sacro initiatum: at si sacerdos non sit, satisfacere, explicando se professum esse, & ordine sacro insignitum, nec teneri explicare, diaconus ne an subdiaconus sit. Quia quamvis ordo sacer ratione voti non addat novam deformitatem, supra professionis votum: eam tamen addit, & notabiliter quidem aggravantem, ratione consecrationis ad ministeria divina, atque inter ipsos ordines sacros, eam addit sacerdotium. Quoniam ad longe altius ministerium dedicat. Dicunt etiam, si Episcopus sit, teneri explicare Episcopatum ratione altioris consecrationis. Ita *Petrus de Ledesma de Sacramento*, ubi de Sacramento pœnitentiæ, *cap. 19. circa circumstantiam personæ dubio 1. & 2. a folio 619.*

Tandem alii placet, etiam professum satisfacere dicendo se emisisse votum castitatis. Ita opinantur quidam, teste *Henriq. l. 5. de pœnit. c. 5. n. 6. in commento lit. G.* & ipse tantum vocat oppositam sententiam probabiliorem. Quare clare existimat hanc esse probabilem.

Sed ut meam sent. explicem, præmitto eum, qui semel factum a se votum repetit millies, nullam in se obligationem distinctam suscipere, sed veterem tantum renovare, ac confirmare: quia si votum id violet, unius solum culpæ reus erit, nec in confessione tenebitur voti sæpius repetiti mentionem facere. Quia omnia ea vota eodem prorsus modo ad unam religionis speciem pertinent. Sicut qui multa conficit instrumenta ejusdem obligationis, cum eisdem hypothecis, non plus astringitur, quam unico confecto instrumento. Et ita docent *Medina 1. 2. q. 72. ar. 6. col. 2. vers. Sed dices, & lib. 1. sum. cap. 9. paulo ante §. 1. fol. 23. Ovand. 4. dist. 23. q. un. post 9. propos. corol. 2. Enriquez lg. 5. de pœnit. cap. 5. n. 6. Azor l. 11. inst. moralium c. 14. qu. 1. ad fin. Manuel 8. tom. sum. 2. edit. c. 23. n. 4. concl. 2. fin. & 2. tom. c. 94. num. 9. Vega 2. tom. sum. c. 129. casu 8.* Et eadem ratione est idem dicendum de juramentis multiplicatis circa eamdem rem, ut bene docet *ibi Enriquez*.

26 Erit tamen diversa malitia necessario in confessione detegenda, si votum, & juramentum de eadem re facta violentur. Quod diversa ratione pertineant ad religionis virtutem, nimirum, votum ob fidem datam Deo servandam, juramentum autem, ne Deus adducatur in testem falso. Et ita docet *Enriquez n. præced. alleg.* Et clare videtur tenere *Azor lib. 11. inst. mor. c. 10. q. 2. §. Aliis tamen non videtur*, ubi ait vincula voti, & jurisjurandi super eadem re esse diversa.

27 I. Conclusio sit. Professus fornicans satisfacit, si se votum emisisse dicat, quia solemne votum a simplici non differt specie, neque alterius rationis vinculum est, sed solum accidentaliter, ut dixi disput. 25. num. 7. & ita docent DD. quos in hac disput. num. 24. retuli. Quamvis *Matina leg. 1. sum. cap. 14. §. 18. f. 119. p. 2. Enriquez l. 5. de pœnit. c. 5. n. 6. in comment. lit. G. Petrus de Ledesma n. 23. alleg. Aragon 2. 2. qu. 88. ar. 7. ad 5. Manuel 1. t. sum. 2. edit. cap. 35. num. 5.* dicant, hunc non satisfacere, sed debere explicare professionem, quod quidem est valde probabile etiam retenta nostra sentent. Quia licet id votum non differat essentialiter, & specie a voto simplici, addit tamen circumstantias status religiosi notabilissime aggravantes.

28 II. Conclusio sit, si Sacerdos, & professus, satisfacit dicens se sacerdotem esse. Hæc est contra DD. n. 23. allegatos, & tenent quos n. 23. allegavi, quia hæc vota non sunt distinctæ speciei, quamvis probabile est non satisfacere quia videtur multo gravior Monarchi fornicatio, ut ait *Palzotus de notbis, & spur. c. 16. n. 15.* Pro hac quoque concl. est *Palud. 4. dist. 38. q. 4. ar. 1. post 5. concl. n. 14.* ubi ait professum in sacris constitutum fornicantem, esse duplicis voti reum. Cujus doctrinam non omnino approbo, ut dicam n. 30.

29 Hinc infertur professum satis fateri, si se votum solemne emisisse dicat. Quod constat a fortiori ex dictis duplici num. præced.

30 III. Conclusio. Sacerdos professus fornicans satis fatetur, si se professum, tacito sacerdotio, dicens. Quia cum castitas non sit ex natura rei annexa consecrationi sacerdotii, sed ex voti ratione annexi (ut probavimus n. 2.) sola malitia necessario confitenda consurgit ex voti transgressione. Tota autem mali-

malitia voti ordinis sacri violati inclusa est in voto solemni professionis violato. Nec obstat, si dicas duplicem obligationem esse in sacro ordine insignitis, ad castitatem: alteram ex voto; alteram ex Ecclesiæ præcepto. Id enim n. 14. reprobavi. Nec similiter obstat, si quispiam objiciat, Ecclesiam annexuisse votum castitatis ordini sacro, ob ministerii sacri reverentiam. At votum obligat propter fidem Deo præstandam: atque ita videntur diversi fines virtutis religionis, ac proinde constituunt diversam specie malitiam. Sicut ob id diversa est malitia, ac duplex, ubi votum, & juramentum de eadem re violantur, ut num. 26. diximus. Hoc inquam non obstat. Quia quamvis Ecclesia præcipiens, ut initiati emittant votum continentiæ, eum finem habuerit: at votum continentiæ emissum tantum obligat ex vi fidelitatis Deo debitæ. Itaque si hi non voverent in ordinis sacri assumptione, delinquerent contra præceptum Ecclesiæ jubentis, ut voveant ob reverentiam ordinis sacri: at id votum emittentes satisfacerent huic præcepto, & fini Ecclesiæ, & sola supereſt obligatio voti ad castitatem, ut stetur promisso facto, in Dei cultum. Hæc est adversus *Petrum de Ledesm. alleg. n.* 23. Et videtur contra *Paludan.* cujus verba retuli n. 28. Sed eam docent *Metina lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 18. *fol.* 119. *par.* 2. *Ovand.* & *Manuel alleg. n.* 22. Et clare tenent reliqui eodem n. 22. allegati: dicunt enim satis esse sacerdotem professum dicere, se esse sacerdotem: quia vota ordinis, & professionis non variant speciem moralem: a fortiori ergo dicent satis esse, professionem explicare.

31 IV. Conclusio, Sacerdos non professus fornicans non tenetur Sacerdoti circumstantiam fateri: sed satisfacit se sacri ordinis esse dicens. Hæc est contra *Petrum de Ledesm. cit. nu.* 23. Et ratio est, quod sacerdotium nullam aliam obligationem ad castitatem afferat, quam eam, quæ consurgit ex voto emisso in Subdiaconatu (ut n. præc. diximus) Nec reperitur ubi Ecclesia novam obligationem injunxerit. Quare seclusa ea Ecclesiæ constitutione, concubitus sacerdotis esset simplex fornicatio. Non ergo diversa malitia inventur, quam contra votum, quod in ceteris ordinibus sacris reperitur. Præterea, quia licet ea circumstantia aliquantum culpam augeat, sicut auget fornicantem esse sanctiorem, aut doctiorem, aut maximis Dei beneficiis affectum: hæc tamen non ita notabiliter aggravant, ut sit necessarium ea explicare. Et ita tradunt *Palacios* 4. *dist.* 16. *disp.* 3. *col.* 13. *post* 1. *concl. vers. Unde non sat erit. Enriquez lib.* 5. *de pœnit. c.* 5. *n.* 6. *comment. lit. G. Lud. Lopez* 1. *par. instr. c.* 29. *col.* 9. §. *Præterea huic affinis est.*

32 Imo satis puto dicere, se voto castitatis ligatum esse, quod tota malitia specifica superaddita consurgat ex voti fractione (ut nu. 30. probavimus) & quamvis votum ordinibus sacris annexum sit solemne, non differt tamen a simplici per se, & essentialiter: sed ex sola Ecclesiæ constitutione, & accidentaliter, quia Ecclesia constituit per id votum dissolvi matrim. ut probavimus n. 17. & 18. Quare nullam aliam malitiam specificam reperio, quam in voti simplicis fractione: nec auget ea circumstantia notabiliter (ut n. præc. declaravimus) nec Ecclesiam irritasse matrimonium postea initum: constituit novam circumstantiam necessario fatendam (ut probavi disp. 5. n. 16.) Hoc est contra *Manuelem allegatum nu.* 22. & contra *Petrum de Ledesm. nu.* 23. *relatum*, dicentes non sufficere explicare votum castitatis. Sed ita docent *Stuniea de voto q.* 4. *n.* 28. *Enriquez lib.* 5. *de pœnit. cap.* 6. *commento*, *lit. G. in fine.*

33 Adde idem esse dicendum, licet fornicans sit Episcopus, non enim tenetur Episcopatus circumstantiam fateri. Quod (ut probavi n. 7.) nullam aliam obligationem ad castitatem habeat, quam ratione voti annexi ordini sacro: unde ejusdem rationis est fornicatio Episcopi, ac fornicatio cujuscumque in ordine sacro constituti. Hoc est contra *Petr. de Ledesma*, *allegatum*, *n.* 23. Et ideo hanc sententiam dicit forte esse veram *Pallacios*, *n.* 31. *allegatus*. Et tenet *Enriquez n. præced. relatus*. Addit bene *Palacios ibidem*, nec Prelatum religionis fornicantem teneri prælationis circumstantiam fateri, sed solum se professum esse, ob eamdem rationem. Ex quo infero fornicationem Episcopi nondum consecrati, sed tantum electi, & confirmati, nec sacro ordine initiati non excedere malitiam simplicis fornicationis, nec continere circumstantiam necessario fatendam. Quod nulli obligationi speciali ad castitatem adversetur. Rursus infero, ili Episcopo consecrato satis esse fateri se contra votum castitatis deliquisse, ut n. præc. diximus de sacerdote. Et docet *Enriquez ibi allegatus*. Et id aperte probat ratio adducta. Sunt tamen hæc accipienda, nisi fornicatio illa ab Episcopo, aut a religionis prælato admissa, ita publica esset, ut scandalum pareret: tunc enim adversus specialem officii obligationem delinquerent, qua tenentur subditos non solo verbo, sed exemplo pascere: atque adeo specialis malitia ex status, ac officii circumstantia contraheretur, eaque necessario fatenda.

V. Conclusio. Si fornicetur religiosus Societatis Jesu, solis
34 votis biennii, aut coadjutoris temporalis, aut spiritualis, simplicibus ligatus, non tenetur se religiosum esse explicare: sed satis est, ut votum castitatis explicet. Constat ex dictis nu. 27. ubi de professo id diximus. Præterea, quia si dicas statum religiosi, in quo illi per ea vota vere, & proprie constituuntur, esse longe perfectiorem statu sacerdotis in sæculo (ut docet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 184. *ar.* 8.) atque ita ratione status augeri malitiam. Id utique fatebor, at id argumentum non est adeo notabile, ut circumstantiam necessario fatendam constituat. Quoniam peccata religiosi non variant speciem, nisi voto adversentur, ut docent *Cajetanus* 1. 2. *q.* 7. *ar.* 1. *paulo post prin. Nav. c. Consideret*, *in prin. n.* 50. *de pœnit. dist.* 5. & *sum. c.* 6. *Hispane n.* 11. *Latine n.* 13. qui in utroque loco addit, nec eam status circumstantiam esse necessario fatendam. Et ita hanc conclusionem docet *Enriquez lib.* 5. *de pœnit. c.* 5. *nu.* 6. *in comment. lit. G.* Probabile tamen est teneri circumstantiam religionis explicare, tanquam notabiliter aggravantem, ut n. 27. dixi de professo fornicante.

Ex dictis deducitur, qui expresse fecit castitatis votum, ac 35
præterea initiatus est sacro ordine, & emisit simplicia vota in Societate Jesu, per quæ redditur verus religiosus, si fornicetur, satis eum fateri, si dicat se contra votum castitatis peccasse. Quia omnia ea vota non essentialiter differunt a voto simplici. Nec votorum multiplicatio efficit, ut ea sit necessario in confessione detegenda (ut probavi n. 25.) Et ita docet *Enriquez num. præcedenti allegatus*.

2. Deducitur, professum, qui se non habiturum mollitiem 36
vovit, & transgressus est, satis fateri se professum indicando, tacito eo voto. Quia voto castitatis emisso in professione ad idem tenebatur, nec multiplicatio votorum novam affert malitiam. Sic *Llamas in methodo curationis animarum*, *p.* 3. *cap.* 4. §. 39. Et idem dicendum est de clerico in sacris constituto, vel religioso Soc. Jesu nondum professo, aut jam professo, & de quocumque alio, qui votum castitatis fecit, imo & his omnibus satis erit dicere, se contra votum castitatis, aut contra votum non polluendi se, deliquisse. Quia in iis sola malitia fractionis voti reperitur, quod enim alterum sit solemne, alterum vero simplex, est sola differentia accidentalis. Et licet votum castitatis plura contineat, quam abstinentiam a peccato mollitiei: at dum violatur sola mollitie habita, non amplius violatur, quam si cæset votum solius abstinentiæ a mollitie. Si tamen ultra mollitiem admitteret aliud peccatum in ea, castitati adversum, ut delectationi morosæ in feminæ cogitatione, aut concupiscentiæ ipsius, aut tactuum cum tertia persona, non fat esse explicare votum abstinendi a pollutione, sed aut simul esse votum castitatis explicandum, aut solum id castitatis votum: quia in peccato adjuncto non explicaretur circumstantia violationis voti.

VI. Conclusio. Si initiatus sacris, aut professus, aut qui 37
alias votum castitatis emisit, jurejurando se astringat ad castitatem, non satis fatebitur fornicationem, declarans professionem, ordinem, votum, aut solum juramentum explicans, sed cum aliis vinculis tenetur juramentum fateri: quod sint diversæ rationis vincula necessario in confessione detegenda, ut probavi n. 26.

Ex dictis n. 27. & 28. constat satis probabile esse sacerdo- 38
tem professum satis fateri, si se sacerdotem, aut voto ligatum dicat.

Ad argum. proposita n. 17. constat ex dictis. 39

DISPUTATIO XXVIII.

Utrum sacer ordo dirimat matrim. subsequens: & quo jure?

SUMMARIUM.

Proponuntur textus probantes matrim. contractum post sacrum ordinem non esse irritum, *n.* 1.

Est irritum, 2.

Nunquam licuit in Ecclesia initiatis sacro ordine matrimonium inire, 3.

Græcus sacris initiatus non potest mortua uxore aliam ducere, 4.

Quid distet inter Eccles. Latinam, & *Græcam*, *quod matr. ante ord. sacros initum?* 5.

An peccent Græci in sacris constituti, *utentes matrim. antea inito?* 6.

Solvuntur argumenta. Et explicantur c. Diaconi, *d.* 28. *cap. Quoniam*, & *c. Aliter*, *d.* 31. & *an canones VI. Synod. quos vocant Trullanos*, *sint authentici?* 7.

Quo jure sacer ordo matrim. postea contractum dirimat? Explicatur quid distet inter hanc quæstionem, & *illam*, *an sit annexa ordini castitas jure divino?* 8.

Refertur duplex sententia, *n.* 9. & 10.

Proponitur sententia Auctoris, 11.

An ordo sacer jure naturæ impediat matrim. subsequens, *licet id non dirimat?* 12.

Episcopus, *quo jure dirimat matrim. subsequens*: & *quid*, *si is Episcopus nondum sit consecratus*, *nec ordinis sacri?* 13.

Solvuntur argumenta; 14.

DUplicem petit quæstionem disputat. præsens, Alteram, 1
an ordo sacer dirimat matrimonium postea initum: alteram, quo jure. Et circa priorem quæst. videtur pars negans vera, 1. ex *canon.* 6. *Apostol.* ibi: *Episcopus*, *aut presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abiciat.* 2. ex *Conc. Gangr. can.* 4. ibi *Quicumque decernit a presbytero*, *qui uxorem habuit*, *quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere*, *anathema sit*. 3. quia Stephanus Pontifex, & refertur *c. Alter*, *d.* 31. ait in Orient. Ecclesia clericos ma-

matrim. copulari. Nec eum morem reprehendi 4. quia *D. Aug. l.* 15. *de civ. c.* 16. & refertur *c. ur.* 35. *q.* 1. *ad fi. vers. Illud autem*, sic ait *Ecclesia post Apostolica instituta*, *quædam consilia perfectionis addit: utpote de continentia ministrorum* 5. ex *c. Diacon.* 28. *d. quod est Synodo Ancarana*, *cap.* 10. ibi: *Diaconi quicumque cum ordinantur*, *si in ipsa ordinatione protestati sunt*, *dicentes*, *velle se habere uxores*, *nec posse continere*, *ii si postea ad nupt. venerint*, *maneant in ministerio: propterea*, *quod eis Episcopus licentia dederit*. Et confirm. quia si dicas hanc Synodum esse provincialem: est postea approbata a Leone IV. & refertur *cap. De libellis*, *d.* 20. ac proinde habet auctoritatem Pontificiam. Tandem quia in *VI. Synodo*, *can.* 13. & refertur *cap. Quoniam*, *d.* 31. sic habetur: *Nos in antiquum canonem Apostolicæ perfectionis servantes*, *hominum*, *qui sunt in sacris*, *conjugia deinceps ex hoc temporis momento*, *firma*, & *stabilia esse volumus*. Quos canones Adrianus Pontifex postea recepit, ut habetur *c. Sextam*, *d.* 16. ibi: *Sextam Synodum sanctam recipio cum omnibus canonib. suis*. Et amplius in eo canone reprobatur mos Ecclesiæ Romanæ interdicentis matr. clericis constitutis in sacris. Constat ergo ex his omnibus non esse irritum matrim. contractum post ordinem sacrum,

2 Ceterum veritas Catholica est, per ordinem sacrum dirimi matrim. postea initum. Id enim definitum est *cap.* 1. & 2. *Qui cler. vel voventes*. Et *c. unic. de voto*, *in* 6. & *c. Ut lex* 27. *q.* 1. quod est Innoc. c. 2. Idem definierunt *Nicolaus Pontifex*, & *Alex.* 2. quorum decreta referuntur *c. Nullus Missam*, & *c. Præter hoc*, *dist.* 32. & *VI. Synodus c.* 6. & refertur *c. Si quis eorum*, *dist.* 32. & multa alia decreta referuntur *eadem dist.* Idem definivit *Joan.* 22. *in sua Extrav. Antiquæ*, *de voto*, & novissime *Trid. sess.* 24. *de matr. can.* 9. De cujus decreti convenientia remissive diximus disp. præced. n. 2.

3 Dubitabis autem, an unquam permissum sit sacris ordinibus initiatis matrim. inire? *Cajet. in opusc. tom.* 1. *tr.* 27. *de dispensatione matrim. in Ecclesia Occidentali*, *q. un. paulo post prin.* dicit olim Græcis Diaconis licuisse matrim. inire probat ex *c. Aliter*, & *c. Diaconi*, *allegatis n.* 1. Et idem docet *Sotus* 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *col. pen. vers. Colligito*, & *lib.* 7. *de just. q.* 6. *a.* 2. *concl.* 2. quando in ipsa promotione protestati essent se continere nolle. Sed verius est nunquam licuisse in Ecclesia, sive Latina sive Græca, sacro ordine præditis matrim. inire. Nam *c. Si quis eorum d.* 32. & *VI. Synodo generali*, dicitur de Ecclesia Græca, sic: *Si quis eorum*, *qui ad clerum accedunt*, *voluerit nuptiali jure mulieri copulari*, *hoc ante ordinationem Subdiaconatus faciat*. Et de Ecclesia Latina hoc certum est, ex *c. Sunt quidem*, & *c. Presbyteris*, 27. *q.* 1. & *c. Decernimus*, *d.* 28. & *c. Lectores*, *d.* 32. Id etiam constat, quia ab initio nascentis Ecclesiæ id prohibitum fuit, ut constat ex *cano.* 27. *Apostolorum*, ibi: *Qui ad clerum provecti sunt*, *præcipimus ut si voluerint*, *uxores accipiant*, *sed lectores*, & *cantores tantummodo*. Et inter alios novissime id probat *Azor l.* 13. *inst. mor. c.* 12. *q.* 3. Et semper apud Græcos fuit irritum matrim. contractum post ordinem sacrum, ut bene probat *Azor eod. cap.* 12. *quæst.* 5.

4 Unde deducitur Græcum sacris ordinibus post coniugium initiatum, non posse valide, uxore mortua, ad alias nuptias transire quod irritum fit etiam apud illos matrimonium initum post sacros ordines. Sic *Azor lib.* 13. *inst. mor. c.* 14. *q.* 7.

5 Ea vero est differentia inter Græcos, & Latinos in sacris ordinibus constitutos, quod illis licuit post conjugium ad sacros ordines ascendere, & uti matrim. antea contracto, quod Latinis est interdictum. Quæ differentia constat *c. Cumolim*, *de cler. conjug.* & *c. De Syracusana*, 28. *q.* Et Græcis quidem concedebatur usus matrimonii ante ordines initi, præter id tempus, quo altaris ministerio deservire, vel consuetudine, vel lege debent, ut late probat *Azor lib.* 13. *inst. mor. c.* 13. *q.* 1.

6 Dubitabis autem, an sacerdotes Græci, utentes matrim. ante ordines inito peccent? Posset enim aliquis id sibi persuadere, existimans id permitti Græcis ob eorum duritiem, tanquam minus malum: instar permissionis lupanarium. Et ita sentiunt quidam, quos tacito nomine refert *Azor statim allegandus*. Et probant ex *decr. Nicol.* 1. *ad consulta Bulgaro c.* 70. & habetur *c. fin. d.* 28. ubi consultus a Bulgaris, num presbyteri habentes uxores sustentandi essent, respondet sic: *Licet ipsi valde sint reprehensibiles*, *voi tamen Deum convenit imitari*, *qui solem suum oriri facit super bonos*, & *malos*. At Bulgari semper retinuerunt, & nunc retinent Græcorum morem. At dicendum est eos minime peccare, quod clare colligitur ex *cap. Alter*, *d.* 31. ubi Stephanus Pontifex Græcorum morem refert, nec reprehendit. Et similiter *Innoc. II. c. Cum olim*, *de cler. conjug.* Imo *Clem. III. c. Quæstium*, *de pœni.* & *remiss.* clare supponit eum usum esse licitum: ibi: *Quæsitum est utrum sacerdotibus Græcis*, *quibus legitimo matrimonio licet uti*. Et *Conc. Lateranen. sub Inno. III. c. Ut clericorum*, *de vita*, & *honestate cleri. in fine*, id clare dicit, ibi: *Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem*, *si lapsi fuerint*, *gravius puniantur*, *cum legitimo matrimonio uti possint*. Ubi *gl. finalis*, ait id dici propter Græcos, qui in sacris constituti utuntur matrimonio antea contracto. Et ratio est, quia cum lex de Sacerdotum cœlibatu sit Ecclesiastica (ut diximus disp. præc. n. 5.) nec sit apud Græcos recepta, nisi modo prædicto, illos non obligabit: eo vel maxime, quod sciente Pontifice id effectum sit. Et ideo hanc partem tuentur *glossa c. De libellis*, *fi. d.* 20. *Abbas c. cum olim*, *n.* 2. & 3. *de cler. conjug.* & ibi *Imola n.* 4. *Anton. n.* 4. *Jo. And. n.* 1. *fine Cardin. n.* 1. *D. Ant.* 3. *p. t.* 1. *c.* 8. *post* 2. *concl. Rosella verb. Impedimentum*, *im-*

ped. 11. *n. penul. Silvest. Matrim.* 8. *q.* 12. *fine*, *Scotus* 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 2. *in fine corporis*. *Azor. lib.* 13. *instit. moralium*, *c.* 12. *q.* 1. *Lud. Lop.* 2. *p. instructorii de matr. c.* 49. *col.* 1. *vers. Ad verbum*. Quare textus contrarius forte intelligitur de ducentibus uxores post ordinem sacrum.

Ad arg. n. 1. respondetur. Ad 1. dic, canonem ille intelligi 7
de uxore ante ordines habita non abjicienda quoad curam victus largiendi, non enim quoad hoc est abjicienda, secus quoad carnale commercium, ut dicitur *cap. Omnino d.* 31. quod est ex D. Leone Pontifice. Ad secundum dic, sensum Concilii hunc esse, qui ita damnat nuptias, ut credat eum, qui uxorem habuit, non posse ob id ad ordines ascendere, anathema sit. Ad tertium dic cum *gl. ibi*, *verb. Copulant*, & *Covar.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 3. *n.* 1. intelligi, copulari, id est, matrimonio contracto uti. Et ita solum dicit, Græcos uti matrimonio ante ordines contracto. Nam copulari pro conjugii usu aliquando accipitur, ut constat ex *c. Agathosa* 27. *q.* 2. *in fin.* ibi: *Postquam copulatione conjugii viri*, *atque mulieris unum corpus efficitur*, idest, consummatione, & usu. Et *c. Nosse* 30. *q.* 1. ibi: *Nosse desideras*, *utrum mulier: quæ viri filium de sacro fonte levaverit*, *possit cum eod. viro copulari*. Ubi *gl. verb. Copulari*, explicat, idest, carnaliter commisceri. Et constat, quia jam erant matrimonio juncti. Et eamdem solutionem tribuunt *Az. lib.* 3. *instit. mor. c.* 12. *q.* 3. & *Bellarm. in suis controvers. lib.* 1. *de cler. c.* 21. Ad 4. dic, id non esse D. Augustini, sed ex Gratiano, & posse intelligi, Ecclesiam imposuisse clericis continentiam sub præcepto, quæ ante erat sub consilio. Et ad quintum, & confirmationem dic cum *Majori 4. d.* 24. *q.* 2. *in solut. ad* 2. & *Az. d. c.* 12. *q.* 2. & 4. ibi sermonem esse de more Ecclesiæ Græcæ, & de uxoribus ante Diaconatum ductis, & ideo dici, *Si cum ordinantur*, *dixerint velle se uxores habere*, id est, retinentes antea ductas velle se matrimonio uti: & cum postea dicit: *Si postea ad nuptias venerint*, idest, si nuptiis antea contractis uti voluerint. Vel dic cum *Archidia. Dominico*, *Turre. eo. c. Diaconi*, & *Az. proxime citato*, intelligi, si ad nuptias venerint, id est, si contraxerint, non de jure, sed de facto, tunc separantur ab illis uxoribus, quas duxerunt, eo quod matrim. non valeat: & separati ab uxoribus permaneant in ministerio, nec a clero rejiciantur, quod Episcopus licentiam dederit. Ad ultimum dic, Canones illos VI. Synodi, quos Trullanos appellant, eo quod apud Trullum palatium regium editi sint, non esse authenticos, nec Ecclesiasticam habere auctoritatem: nec editos esse a Concilio, sed post illud dissolutum a quibusdam Episcopis, nullumque Romanum Pontificem eos approbasse, sed aperte improbasse Sergium Pontificem illius temporis, ut scribunt *Beda lib. de sex ætatibus in Justiniano*, & *Paulus Diacon. lib.* 8. *deb. Rom. c.* 9. VI. enim Synodus nullos canones edidit, ut constat ex *VII. Synodo act.* 4. & 5. Et ideo hos canones non esse authenticos, nec VI. Synodi docent *Anast. Theophan.* & *Umbertus*, ut eos refert *Simancas de Catholicis inst. tit.* 40. *n.* 38. idem docent *quædam additio ad decretum correctum jussu Greg. XIII. c. Habeo lib. d.* 16. *Canus lib.* 5. *de locis Theol. c. fi. ad* 6. *Sot.* 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 2. *col.* 4. *vers. Quocirca*, & *lib.* 7. *de just. q.* 6. *ar.* 2. *col.* 11. *vers. Hæc ergo Torren. lib. uno de canonibus VI. Synodi*, *Bellar. in suis controvers. lib.* 1. *de Concil. c.* 7. & *lib.* 2. *de Pontifice*, *c.* 18. & *lib.* 1. *de clericis*, *c.* 21. *col.* 3. *vers. Ad* 3. *Valentia* 4. *p. disp.* 9. *q.* 5. *punct.* 5. §. 2. *vers. Respondeo canones illos*: & *disp.* 10. *q.* 5. *pun.* 3. *in impedimento disparitatis cultus*, §. *Cum infideli autem Bannes* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. *dub.* 5. *f.* 159. & *Surius* 3. *tom. concl. in VI. Synodo*, ante hos canones ponit præfationem ad lectorem, ipsum admonens, quosdam ex his canonibus esse ab hæreticis corruptos, & falso tribui VI. Synodo. Et ad *c. VI. Synodum*, *d.* 16. quod probat eos canones receptos esse ab Adriano Pontifice, respondet *additio quædam in novo decre. Gregoriano*, *in eod. c. Sextam*, *posita*, Gratianum non referre proprie verba Adriani, sed Adrianum referre ea verba ex epistola a Tarasio ad se missa.

Quæstio posterior. Quo jure sacer ordo matrim. subsequens 8
dirimat? Quæstio hæc procedit, sive teneatmus continentiam annexam esse sacro ordini jure Ecclesiastico, sive divino, sive ex voto, sive ex sola Ecclesiæ constitutione. Quodcumque enim horum teneamus, potest esse locus opinionibus statim referendis. Quoniam lex illa divina, vel votum posset ita clericis castitatem præcipere, ut matrimonium postea initum minime dirimeret: sicut voto simplici castitatis adstrictus tenetur lege divina naturali nuptiis abstinere, si tamen contrahat, validæ sunt. Quare etsi dicamus lege divina annexam esse continentiam, vel ex voto lege Ecclesiastica adjuncto, potest esse difficultas, an sola Ecclesiastica lege sit irritum matrimonium post sacrum ordinem contractum, an lege divina, an potius ex vi illius voti adjuncti.

Triplex igitur est sent. Prima ait, jure divino per ordinem 9
sacrum dirimi matrim. subsequens. Potest probari, quia *c. un. de voto in* 6. æquiparantur votum solemne ordinis sacri, & professionis. Hoc autem dirimit jure divino (ut diximus disp. 26. n. 4.) Et confirmat, quia in ordine sacro est traditio, sicut in professione (ut docent Auctores cit. disp. præced. nu. 16.) Cum igitur votum professionis dirimat jure naturæ, eo quod in illo reperitur traditio: eodem jure dirimet ordo. Tandem, quia ordini est jure divino annexa castitas conveniens muniis sacerdotalibus: quibus conjugales curæ adversantur. Hujus sententiæ sunt *Majoris 4. d.* 24. *tota q.* 2. *Celaia 4. d.* 37. *qu.* 1. *fin. Barbosa rubr. ff. solut. matrim.* 2. *p. num.* 98. Et dicunt esse probabi-

lem, *Bassol.4. d.37. q. unic. art.1. & Nicol. de Nisa super 4. sententiarum, tr. 6. p. 3. de matr. p. 7. paulo post principium.*

10 II. Sententia docet, ordinem sacrum, ut ordo sacer est, non habere ex natura sua, & jure naturali divino dirimere contractum matrimonii subsequentem, quod non habeat eo jure annexum sibi continentiam: at ratione voti solemnis annexi id efficere jure naturali, & divino. Ducitur, quia licet per accidens, & ex statuto solo Ecclesiæ annexum sit id votum solemne ordini sacro: at supposita annexione, habebit jure naturæ dirimere matrim. qui est voti solemnis effectus. Sicut album per accidens conjungitur corpori, & ideo corpus, ut sic, disgregat per accidens visum: at corpus ut album est, id habet essentialiter. Et confirm. quia si per accidens ex statuto Ecclesiæ annecteretur votum simplex ordini, impediretur jure naturæ matrimonium subsequens, non ex vi ordinis, sed ex vi voti. Cum ergo sit annexum votum solemne, quamvis ex jure Ecclesiastico, dirimetur matrimonium subsequens, non solo jure Ecclesiastico, sed divino naturali, ratione voti solemnis adjuncti. Perinde enim est voti solemnis effectus, dirimere jure naturæ matrim. ac simplicis impedire. Ita tenent aliqui, ut refert *Bassolis nu. præced. alleg.* Et videntur tenere *Ricar. d.4. d.37. ar.1. q.1. corp. Raynerius 2. p. sum. tr. de matr. c.23. Petrus de Soto lectione 5. de matr. §. Rationem hujus Valentia 4. par. disp. 10. q.5. punct. 3.* ubi de impedimento ordinis: dicunt enim reddi matrimonium subsequens nullum propter votum solemne adjunctum, & propter statutum Ecclesiæ.

11 III. Sententia (cui adhæreo tanquam communiori, & multo veriori) ait solo Ecclesiæ statuto dirimi matrimonium subsequens per ordinem sacrum. Ecclesia enim inhabiles reddidit initiatos sacris ad matrimonium, sicut consanguineos in secundo, & ulterioribus gradibus usque ad 4. Sententia hæc probatur eisdem prorsus rationibus, quibus disput. præcedenti, n.5. probavimus solo jure Ecclesiastico annexam esse continentiam ordini sacro: eadem enim hanc sententiam probat. Item probatur, quia hoc votum non est per se, & ex natura sua solemne, sed per accidens (ut probavimus disput. præced. n. 17.) non ergo dirimet matrimonium jure naturali divino, instar voti solemnis per se, quale est professionis votum. Et ideo hanc sent. tenent universi DD. quos disp. 26. n. 2. retuli, asserentes votum possessionis ex solo jure Ecclesiastico dirimere contractum matrimonii sequentem. Et præter illos tenent hanc sententiam *D. Thom. 4. dist. 37. qu. 1. ar. 1. corp. Scot. ibi, q. un. §. Dico igitur. D. Bonav. ar. 1. cap. 2. corp. Alber. Magnus ibi, ar. 1. Duran. q. 1. n. 4. Palud. q. 1. ar. 1. num. 8. & ar. 3. num. 19. Supplem. Gabriel. q. un. ar. 2. concl. 2. Guilliel. de Rubion ibi, qu. 1. ar. 2. Bassolis quæst. un. ar. 1. Mayron qu. un. Albertus Pighius in suis controversf. controv. 15. ad fi. Nicol. de Orbellis 4. d. 37. qu. un. Clichoveus de vita, & morib. sacerdot. c. 21. paulo post principium. Nicolaus de Nisa allega. num. 9. Caje. in opusc. tom. 1. tract. 27. de dispens. matrim. in Occiden. Ecclesia, quæst. un. ad fi. §. Quoad tertium. Catharin. lib. 6. in Cajc. ea. q. An possit Pontifex dispensare in voto solemni ordinis sacri. Idem Caje. 2. 2. qu. 88. ar. 7. dub. 1. §. Quantum vero ad 2. & 3. opinionem. Gerson 1. p. reg. moralib. tract. de matrim. alphab. 25. lit. I. Capreol. 4. d. 33. qu. un. ar. 4. ad fin. in solut. ad argumentum Scoti contra 3. concl. Victoria sum.* ubi de matrim. *n. 291. Sot. l. 7. de just. q. 5. ar. 3. ad 2. & 4. d. 38. q. 1. ar. 1. col. 3. ver. Dubium tamen est, & q. 2. ar. 2. col. 4. vers. Et ut claritatis causa Metina lib. 4. de sacrorum hominum contin. controversia 7. c. 31. paulo post princ. Ledesma 2. p. 4. q. 55. ar. 3. flatim in princ. Palacios 4. d. 25. disp. 2. concl. 6. & n. d. 37. disp. un. concl. 4. Angles Floribus 1. p.* ubi de matr. *q. 11. de imped. ordinis, art. 1. diffic. 4. Valentia in suis controv. lib. un. de celibatu, cap. 2. Bellar. in suis controv. lib. 1. de clericis, toto cap. 18. Enriq. lib. 11. de matr. cap. 5. num. 9. Idem Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. puncto 5. col. 2. §. Hæc sententia. Petr. de Ledesm. de matr. quæst. 53. ar. 3. dub. 1. concl. 1. Barth. a Ledesma de matr. dub. 34. concl. 2. Gandavo quod lib. 5. q. 38. Manuel. 1. tom. sum. 2. edit. c. 224. nu. 2. Vega 2. tom. sum. c. 44. casu 48. Lud. Lop. 2 p. instr. de matr. cap. 48. in solut. ad 1.* Et ex Juriperitis, *Innoc. capit. Placet, n. un. de converf. conjug. Hostien. c. Rursus, n. 2. qui cler. vel vov. & ibi Joan. Andr. n. 8 Anton. n. 7. Abbas n. 6. Anchar n. 3. Alex. de Nevo n. 10. & 11. Henricus n. 5. Card. clem. un. 19. de consang. Bellamera c. de illo, d. 32. n. 4. Turrecr. c. Placuit, ar. 1. n. 5. d. 32. Tabiena verb. Dispensatio, q. 7. n. 8. in solutione ad 1. Astensis sum. 2. p. lib. 8. t. 22. ar. 1. q. 3. Covar. 4. decre. p. 2. c. 6. §. 3. nu. 2. Stunica de voto q. 4. n. 26.* Et exprimunt nec ratione voti annexi, id competere jure naturali ordini sacro, *Scotus, Caje. eo. tr. 27. qu. un. §. Quoad tertium: Bassolis, Guillielmus, Rubion, Supplem. Gabrielis, Angles*, pro hac sententia allegati. Redditque rationes *Cajetanus*, quia id votum est solemne per accidens. Et ceteri DD. allegati, sunt clare hujus opinionis, ut nec ratione voti id competat ordini: valde enim diminuti essent, si expresse, & ex professo tractantes de jure, quo ordo sacer dirimit matrim. assererent id habere jure humano, intelligentes id quoque habere jure divino, ratione voti annexi.

12 Fatendum tamen est, jure divino naturali impediri matr. subsequens, ratione illius voti castitatis annexi: juxta sententiam quam tenuimus disp. præc. n. 10. At sentientes nullum esse votum (quos ibi n. 9. retulimus) hoc negabunt. Id tamen votum non dirimit, quia est solemne per accidens, ut probavi disp. præcedenti, n. 17.

Nec Episcopus quoque dirimit jure naturali, aut divino, sed 13
solo Ecclesiastico, matr. subsequens ratione voti annexi ordini sacro, quod eo jure dirimit. Quia nulla alia ratione habet castitatem annexam (ut probavimus disp. præced. n. 7.) & ita sentit *Pet. de Led. de matr. q. 53. ar. 3. in dub. quod movet circa solutionem ad tertium, concl. 1. & 3.* Quare *post 3. concl. §. Sed ut hæc conclusio*, optime infert, Episcopo confirmato, nondum tamen ad sacrum ordinem promoto, & per consequens nec consecrato, nullo jure interdici resilire, & ad nuptias transire.

Ad argum. n. 9. proposita resp. Ad primum dic æquiparari 14
quoad matrimonii dissolutionem, non autem quoad jus, quod id competit. Ad confirm. constat ex dictis disp. præced. n. 17. ubi probavimus non esse traditionem quoad castitatem servandam. Ad 2. constat ex dictis disp. præced. n. 5. ubi solo jure Ecclesiastico annecti probavi. Ad argumentum, & confirm. secundæ sententiæ proposita n. 10. dic evidenter concludere, si id votum esset vere, & per se solemne, instar voti professionis. At est tantum per accidens solemne: atque adeo nec id votum habet ex se dirimere.

DISPUTATIO XXIX.

An ordo sacer, per vim vel metum assumptus, obliget ad castitatem, ac proinde dirimat matrimonium postea initum?

SUMMARIUM.

Quando est vis præcisa ad nil obligat, nec impedit matrim. num. 1.
Conjugatus metu ordinatus, an possit uti conjugio? 2.
An metu ordinatus nolens uti ordine gaudeat privilegio clericali? 3.
An non conjugatus recipiens ordinem sacrum ob metum viri constantis, teneatur continere? Refertur quædam sent. 4.
Sententia Auctoris, 5.
Potest hic matrim. contrahere absque dispensatione, 6.
Nec tenetur hic ad recitandum officium divinum, 7.
Quid, si metus non fuit cadens in virum constantem? 8.
Quid, si postea ratificet verbo vel facto, utens in ordine accepto? 9.
Quid, si justo prælati præcepto compulsus est ad ordines? 10.
Solvuntur argumenta. Et explicatur regula, Accessorium, de reg. juris in 6. n. 11.

Constat inter omnes, ordinem vi præcisa assumptum ad 1
nil prorsus obligare. Quia cum desideretur voluntas non valet ordo, nec character recipitur, ut constat ex *cap. Majores, de Baptismo*. Quare tota difficultas est quando est solius metus, in quo casu adest voluntas, & valet ordo, imprimique characterem, ut constat ex *eod. cap. Majores*, & fatentur omnes utriusque sententiæ DD.

2. Constat inter omnes, eum qui post matrim. metu viri con- 2
stantis recipit ordinem sacrum, non teneri continere quoad usum illius matrimonii, sed posse illo libere uti, ac si ordinem non accepisset, quod rationi consentaneum minime sit, eum jure utendi matrimonio inito privari, qui non sua sponte, sed metu gravi compulsus ad ordines ascendit. Et ita fatentur omnes DD. contrarie sententiæ referendi n. 4. Et id est verum, quamvis matrimonium consummatum non sit, ut fatetur *Abbas c. Majores, §. ult. n. 7. de Baptismo* Imo habet verum, quamvis uxor continere vellet, ut hunc decet *Goffredus sum. tit. de ætat. & qual. ordinan. n. 11. Hostiens. sum. eo. ti. n. 5. ver. Sed nunquid conditionaliter*. Nec audiendus est *Auctor sum. Armillæ, verb. Ordo, n. 14.* dicens hunc teneri continere, si uxor velit.

3. Qui metu ordinatus est, dato illum non teneri ad ordinem, 3
& ad castitatem, constat non frui privilegiis clericalibus, si continere nolit. Æquum enim non est, ut qui opus sentire recusat, sentiat commodum. Contra *reg. Qui sentit, de regul. juris in 6.* Ita docent *gl. c. Ubi, d. 74. verb. Honorem, Hostiens. c. Majores, §. ul. n. 38. super verb. Conditionaliter, de Baptism. & ibi Card. n. 1. q. 1. Azor. lib. 13. instit. moralium, c. 14. q. 8.* At utetur iis privilegiis, dum non transit ad actum contrarium, ut in simili habetur *cap. Quisquis, d. 84.* & tradunt *Goffredus, & Hostien. n. præ. fine allegati.* Unde si ante ordines susceptos esset conjugatus, & uxor vellet continere, ipse autem nolit, non gaudebit privilegiis clericalibus, Quod cum sibi liberum sit uti matrimonio, aut ab usu se abstinere eligat uti: quod castitati annexæ ordini adversatur. At si ipsa nolit, ipse autem eligat, in quantum sibi per matrimonii leges permittitur, continere, nimirum, non petendo debitum, & obligat se ad castitatem, ac clericorum more vivat, gaudebit privilegiis clericalibus: juxta *c. Multorum, 27. q. 1.* Ita docent *Goffredus, & Hostiens. n. præc. fine allegati. D. Antonin. 3. p. ti. 14. c. 16. fine Rosella Ordo 3. n. 7. Supplementum sum. Pisanę, verb. Ordinatus, 1. nu. 7. Albericus in suo dillionario, lit. O. verb. Ordinatus 1. vers. Utrum coacte ordinatus. Silvest. Ordo 4. qu. 1. dist. 2. Tabienu Ordo 2. fin.* Quod intellige cum *Alberico supplementum sum. Pisanæ, Silvestro, ibidem*, nimirum, hunc debere frui privilegiis clericalibus, si non sit bigamus, & tunc non omnibus, sed solum iis, quibus fruuntur ceteri clerici conjugati cum unica, & virgine: juxta *cap. un. de clericis conjugatis in 6.* De quibus nos agemus infra, in hoc eodem impedimento voti, & ordinis.

Dif-

Difficultas autem est, an ordo metu assumptus ita obliget ad continentiam, ut si initiatus non sit matrimonio junctus, teneatur prorsus continere, nec valide possit matrim. inire: si vero sit conjugatus, non possit, eo matrim. soluto, ad aliud migrare, sed teneatur omnino continere, dempto illius matrimonii præcedentis usu? Quidam (& valde probabiliter) affirmat obligare eum ordinem ad continentiam, & matrim. postea initum esse irritum. Ducitur hæc sententia. Quod sic ordinatus characteremordinis recipiat, cui annexa est castitas. Cum igitur accessorium sequatur naturam principalis, *reg. Accessorium, 42. de reg. jur. in 6.* ac principale valeat, valebit quoque accessoria ad castitatem obligatio. Et confirm. quia cum Ecclesia adjunxerit votum continentiæ ordini sacro, de prædicto voto debet judicari, juxta terminos ordinis, cui fuit adjectum, *l. Grego, ff. de legat. 1. l. Peculium, ff. de legat. 2.* Et pulchre tradunt *Bart. lib. Si convenerit, l. 2. §. Si nuda, n. 2. ff. de pign. act. Bald. l. Etiam, n. 4. C. de jure dotium*, docentes adjectum alicui rei dejudicandum esse secundum illius rei terminos. Sicut ergo de natura ordinis est, ut ad characteris illius impressionem sufficiat voluntas coacta metu, etiam voluntas debet sufficere ad votum continentiæ, quod ab ordine pendet: alioquin plus requireretur in accessorio, quam in principali. Secundo metu baptizatus compellitur servare fidem ac reliquas Ecclesiæ leges, eo quod characteremrecipiat, *c. de Judæis, d. 45.* quod ex *Conc. Tolet. 5. c. 56.* At ut fides, & lex Christiana comitantur characterem Baptismi, ita castitas ordinis characterem. Tandem, quia cum voluntas metu extorta, voluntas sit, *c. Merito 15. q. 1.* is qui metu initiatus est, voluntarie id fecit, equum igitur est, ut ad castitatem teneatur. Et confirm. ex *Conc. Tolet. 8.* ibi: *Quicumque (etiam inviti) ad Ecclesiasticorum officia dignitatum assumantur, deseverе quam semel receperunt gratiam donumque nequaquam audeant. Si vero ad conjugia moresque sæculi vedire attentaverint, omni Ecclesiastica dignitate priventur, & apostatæ habeantur*: & ideo hanc sent. tuentur *Goffred. & Hostiens.* ubi eos nu. 2. fine retuli, *Joan. Andr. c. Majores, in fine de Bapt.* ubi *Anton. §. ult. n. 7. Abbo eodem §. n. 7. Cardin. clem. fin. in fine, de ætat. & qual. Alberic. in suo dictionario lit. O. verb. Ordinatus, 1. vers. Utrum coacte ordinatus. Raymundus in summ. t. de ætat. & qualit. ordin. Lex reg. 32. t. 6. par. 1. & ibi Montalvus in fin. Silvest. Ordo, 4. q. 1. dist. 2. Supplementum sum. Pisanæ verb. Ordinatus 1. n. 6. Tabiena Ordo 2. fin. Armilla verb. Ordo, n. 14. Rota in novis. par. 1. decis. 560. n. 7. & Jeqq. Gaeta repet. c. Ad limina. 30. q. 1. §. 3. q. 19. n. 96.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 38. q. 3. ar. 4. concl. 6. n. 28. D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 16. in fin. Sotus lib. 7. de just. q. 2. ar. 5. in solut. ad argumentum ultimum.*

5 Ceterum probabilius censeo, sic initiatum nullo jure cogi continentiam servare, quando metus fuit in virum constantem cadens, 1. quia castitas perfecta, & integra est res voti, non præcepti, *c. Integritas, 32. q. 2.* nec continentia debetur, nisi voluntarie assumpta, *c. Ante triennium, d. 31. & c. Præsens, 20. q. 3.* Secundo, quod ordo sacer non obliget ex natura rei ad castitatem, fed ratione voti ex Ecclesiæ constitutione adjuncti (ut probavimus disp. 27. n. 2. & 10.) votum autem expressum, nedum tacitum, quale ordini inest, irritum est, si ob metum viri constantis emittatur, *c. Perlatum, & c. Cum dilectus, de his, quæ vi.* Et confirm. quia licet constitutio Ecclesiæ astringat ad castitatem initiatum sacro ordine, quando sponte illum suscipiens noluit vovere, vel a voto ratione ignorantiæ excusaretur; at id procedit, quod sponte sua ordines susceperit, ac privilegiis clericalibus frui elegerit. Quippe rationi consentaneum est, ut onera quoque annexa subeat: ut qui sentit commodum, sentiat & onus, *regula, Qui sentit, 55. de reg. jur. in 6.* Quæ ratio in coacte suscipiente ordines deficit, cum non sponte ad ordines ascenderit, nec subinde affectum habuerit privilegiis clericalibus fruendi. Secundo, quia constitutio Ecclesiæ non obligat clericos directe ad castitatem, fed ad castitatis votum emittendum. Quare qui votum illud castitatis in susceptione ordinis sacri tacite emittit, ex solo voto ad eam tenetur (ut probavi disp. 27. nu. 14.) & solum obligat constitutio Ecclesiæ, quando hic initiatus votum non emisit (ut ibidem probavi) At hic cum in susceptione ordinis non habuerit voluntatem contrariam, vere votum annexum ordini tacite emisit, instar aliorum clericorum. Cum ergo ex voto non manserit obligatus, irritante illud eadem Ecclesia ratione metus, nulla ratione manebit obligatus. Tertio, quia jus id servat in metu gestis, ut ea quæ facile reparari, & ad pristinum statum restitui ope judicis nequeunt, omnino casset: ne destituatur remedio injurioium metum passus. Atque ob eam rationem matrimonium metu initum irritavit: quod semel contractum dissolvi a judice nequeat, at cum ceteri contractus irritari facile possint a judice, eos metu initos non irritavit, fed a judice rescindendos reliquit (ut probavi l. 4. disp. 8. n. 4.) Cum ergo obligatio ad castitatem ordini sacro annexa, ubi semel contracta fuerit, ope judicis dissolvi nequeat, æquum est ut Ecclesia eam obligationem irritarit. Tandem, quia si conjugatus nullo modo tenetur ad castitatem respectu illius matrim. (ut n. 2. diximus omnes fateri) cur non conjugatus ad castitatem est compellendus? Si enim hic compellendus esset, pariter conjugatus obligandus esset ad ex parte sua continendum, non petendo debitum. Cum susceptio ordinis fuerit in utroque voluntaria ea coacta voluntate: & ubi esset libera voluntas, teneretur conjugatus ad ordines promotus non petere. Et ideo hanc sententiam amplectuntur *glossa c. Ubi, verb. Honorem, d. 74. & ibi, Hugo, & Archid. in fin. & Domin. ibi fin. gloss. cap. Majores §. ult. verb. Conditionaliter, in fine, de Baptismo, & ibi Hostien. n. 38. verb. Conditionaliter, & ibi Henric. nu. 7. fin. Calderinus t. Qui cler. vel vovеn. consilum. fin. Imola c. Joannes, n. 21. de cler. conjug. & cap. Sacris, num. 7. de bis, quæ vi, in priori edit. Card. d. c. Majores, §. ul. n. 1. q. 1. Astensis sum. 2. p. l. 6. t. 2. ar. 4. q. 2. fin. Joannes de Friburgo sum. confess. tit. de ætat. & qual. ordinand. q. 50. & §1. Petr. Ravennas in compendio juris canonici, tit. de Baptismo Rosella Ordo 3. nu. 6. Angelus Ordo 3. n. fi. Rota in novissimis, p. 1. decis. 561. n. 1. fin. & seqq. & in fin.* concludit stylum curiæ hanc sententiam approbare, *Præpositus d. 74. in summ. n. 2. & Turrecr. ibi, in summa, a. 2. ad fi. Navar. lib. 1. cons. tit. de bis, quæ vi, in priori edit. consil. 2. n. 4. & seqq. & cons. 3. n. 2. & cons. 4. n. 1. in posteriori edit. consil. 4. n. 4. & seqq. & consil. 2. n. 1. & 3. & cons. 5. n. 2. & summa latin. c. 22. n. 51. ad finem, & n. 52. Greg. Lop. leg. 32. verb. Que le tomara, tit. 6. p. 1. Balthasar Mogollon tractatu de bis, quæ vi, c. 8. §. 2. n. 13.* & refert *n. 5.* tribus sententiis se obtinuisse in judicio hunc non teneri continere. Et hoc forte est, quod voluerunt dicere, *Rubussus in concordatis, rubr. de regia ad prælaturas nominatione facienda §.... verb. Sponte & Barbatius cons. 60. n. 5. & 6. vol. 1.* ubi docent ordinem metu assumptum esse ipso jure nullum, sicut & professionem, forte enim intelligunt quoad obligationem ad continendum, alias falsa idem tenere *Ricard. 4. d. 25. a. 4. q. 2. ad 3.* ubi ait continentiam non esse annexam ordini sacro, nisi quoad eos, qui voluntarie illum suscipiunt. Et tenent *Majoris 4. c. 24. q. 2. in solut. ad 5. Sotus 4. d. 25. q. 1. ar. 1. ad 3. vers. Hinc autem emergit. Enriquez lib. 10. de sacram. ordin. c. 14. n. 3. & lib. 12. de matr. c. 5. n. 9. in comment. lit. Q. Azor. lib. 13. instit. mor. c 14. q. 8. Vivald. cand. sacram. 1. p.* ubi de Sacram. ordinis, *n. 26. Petr. de Ledesma de sacram.* ubi de Sacram. ordin. *c. 6. diffic. 3. dist. 2. Manuel 1. to. sum. 2. edit. c. 224. n. 5. & 2. 1. c. 96. n. 4. concl. 4. Emm. Sa sum. verb. Ordo n. 24. Bart. a Ledes. de Sacra. ord. dub. 14. col. 4. §. Annotare hic oportet, Vega 2. to. sum. cap. 57. casu 6.*

Hinc infertur, posse hunc licite matrim. contrahere. Quia 6
sola obligatio ad castitatem ordini annexa posset ostaculo esse: at non tenetur continere. Et ita credo esse de mente omnium DD. quos n. præcedenti retuli. Quamvis *Petrus de Ledesma ibi relatus* dicat hoc non inferri ex illa sententia. Et in propriis terminis ita docent, *Imola cap. Joan. n. 21. de cler. conjug. Navarrus sum. latin. cap. 22. n. 52. & leg. 1. cons. tit. de bis, quæ vi, in priori edit. cons. 4. nu. 3. in posteriori autem, cons. 2. n. 3. Turrecr. Greg. Lop. Azor, Balthas. Mogol. Vegan. n. præced. allegati. Enriquez lib. 10. de sacram. ordin. cap. 14. n. 3. Manuel. 1. tom. sum 2. edit. c. 224. n. 5.*

2. Deducitur, nec hunc noleatem uti ordine, teneri ad 7
officium canonicum recitandum. Quod id sit onus adjunctum ordini sponte assumpto, sicut & onus continentiæ servandæ: & ita docent *Navar. sum. latina, cap. 22. n. 51. ad finem. Vivald. & Emmanuel Sa allegati n. 5. ad finem.*

Imo nec tenetur hic continere, quamvis metus non sit ca- 8
dens in virum constantem, modo sit talis, ut præ timore illo initiatus esset. eoque secluso nullatenus initiandus. Ita *Nav. lib. 1. consil 1. De his, quæ ut, in priori edit. cons. 3. n. 4. in posteriori, consil. 5. n. 4.* & potest probari, nam multi sentiunt matrimonium simili metu initum, esse in foro conscientiæ nullum. Quos retuli lib. 4. disp. 17. n. 2. & dixi ibi n. 4. id esse probabile: & ita censeo esse probabile. At probabilius est oppositum (ut ibi retuli multos id tenentes n. 3. & dixi probabilius, n. 4.) & ibi probavi. Atque ita docent ceteri Authores relati hac disp. n. 5.

Id tamen monuerim, si metu quantumvis gravi initiatus, 9
postea ratificet verbo, aut facto, semel utens ordine accepto, idque sine coactione aliqua, in posterum non esse sibi integrum resilire sed teneri continere, instar aliorum clericorum, qui sponte ad ordines assumpti sunt. Quod per illam liberam ratificationem elegerit in ordine permanere, ac proinde ad ejus onera ex tunc obligabitur. Sicut etiam professio tacita inducitur faciendo propria professis *c. Vidua, de reg.* Et sic docent *Hostiens. c. Majores, §. ult. n. 38. super verb. Conditionaliter, de Baptismo & ibi Ant. n. 8. Joan. Andr. in fin. Henricus n. 7. fin.* Quod intellige, si sciens & prudens exerceat, secus si per errorem, quo se ad ordinis observantiam astrictum existimet: tunc enim non censetur ratificare. Quod nunquam sit ratificatio actus nulli, dum ignoratur actum fuisse nullum (ut probavi lib. 1. disp. 16. n. 7.) Et ita docent *Nav. lib. 1. cons. 1. de bis, quæ vi in priori editione, consil. 2. n. 8 & 9. in posteriori, consil. 4. n. 8. & 9. Manuel 1. to. sum. 2. edit. cap. 224. n. 5. Vega 2. tom. sum. c. 57. casu 6.*

Tandem prædicta de injusta compulsione accipienda sunt. 10
Si enim urgente necessitate compellat prælatus justo præcepto ad ordines assumendos, sic compulsus tenetur ad continentiam, & ad cetera ordinis onera. Cum nullam injuriam passus sit, quod bene docet *Enriq. l. 10. de Sacramento ordinis c. 14. n. 3. commento, littera T.*

Ad argumenta n. 1. proposita resp. Ad 1. & confir. dic, ac- 11
cessorium sequi naturam principalis, & connexa dijudicari juxta terminos eorum, quibus connectuntur, quando sunt essentialiter connexa, & secundum necessariam consequentiam, ac proinde individua: secus quando solo jure humano conjuncta sunt, ut annectitur castitas ordini. Quare per metum, qui humana rescindit, & non divina, licet non impediatur essentia